

DE MONASTERIORUM FOEDERATIONIBUS

I. DE PRESUPPOSITIS

I. PRINCIPIUM SEU CRITERIUM PRO ACCOMODATIONE

Peculiari ratione cum agitur de accomodata renovatione figurae iuridicae Monialium quoad elementum autonomiae, in ordine ad introductionem foederationis seu unionis Monasteriorum, prae oculis constanter haberi debet ex una parte distinctio inter elementa propria seu nativa ac necessaria, et alia quae nec "necessaria sunt nec complent" sed tantum externa atque historica "habentur", et ex alia parte criterium accomodationis vi cuius quando elementa externa seu historica "vel iam non prosunt vel maius bonum impedire valent, nulla speciali ratione servanda videntur" (A. A. S., XLIII, 1951, p. 10) et consequenter alia inducuntur quae Instituto Monialium et maiorem decorem et "pleniorem etiam efficiacitatem tribuere poterunt" (1).

Criterium praefatum ipse Summus Pontifex expresse applicat autonomiae Monasteriorum Monialium: repetit enim, quoad hanc autonomiam seu mutuam libertatem, illa quae iam dixit Monachis Benedictinis (2), scilicet ipsam autonomiam esse elementum externum et historicum respondens adiunctis temporum antiquae et mediae aetatis, quando, "cum impeditiores essent commeatus et minoribus necessitatibus fidelium curatio teneretur... autonomia magis sibi constare poterat", dum e contra hodierna tempora "poscunt foedera, unitatem exigunt". Quod de Monachis viris dictum est fortius valet pro Monialibus. Romanus Pontifex in Const. commemorat autonomiam uti partim saltem elementum historicum quando affirms "Mutatis rerum adiunctis, plura iam suadere et non raro postulare Monasteriorum Monialium consociationem".

Elementum extrinsecum et historicum, quod non amplius respondet adiunctis temporum, iam non prodest; insuper, si contradicit praesentis

(1) A. A. S., XLIII, 1951, p. 11.

(2) A. A. S., XXXIX, 1947, p. 454. "Autonomia vero aequo magis retenta, inventantur forte coenobia, quae, deficiente religiosorum sodalium numero, demandato sibi officio minus pars sint; quin etiam colendae regulae disciplina ibi languescere poterit et vel pericula paucim subrepere."

temporis circumstantiis potest maius bonum impedire et etiam damnum afferre.

Ut via praeparetur instaurationi foederationum et eorundem ordinatio praeparetur S. Pontifex oculos vertit ad praesentem conditionem iuridicam et concretam Monasteriorum Monialium, et exponit quomodo ipsa non valeat impedire Foederationes.

2. DE AUTONOMIA

Unio Monasteriorum in aliquam foederationem intactam relinquit conditionem iuridicam actualem Monasteriorum et praesertim eorundem characterem qua sui iuris sunt atque autonoma.

In definitione Monialium (can. 488, 7.^o; Stat. Gen., art. I, § 1) et in definitione vitae contemplative canonicae, quae est Monialium peculiaris ratio vitae religiosae (Stat. Gen., II, § 1), nulla mentio fit de Monialium domorum seu monasteriorum characteribus peculiaribus quibus ab aliis religiosis domibus distinguuntur.

De istis characteribus sermo fit in art. VI et VII Stat. Gen. in quibus agitur de autonomia et de independentia Monasteriorum.

Opportune normis circa foederationem praemittitur illustratio peculiaris conditionis Monasteriorum ad hoc ut appareat ipsam non destrui a foederationibus, sed optime cum instauratione foederationum componi posse.

Haec probatio etiam aliter fieri poterat, nempe; ostendendo iuridice non differre Monasteria Monialium a Monasteriis Monachorum et aliorum regularium, qui regimine monastico ordinantur, et concludendo quod, sicuti Monachorum monasteria in Congregationem coadunantur, intacto servato propria conditione, eodem titulo et ratione id possibile est etiam pro domibus Monialium: quinimmo, non solum virorum monasteria valent in Congregationem uniri, sed etiam Congregationes in superiorem organismum componi possunt, quin violetur autonomia sive monasteriorum sive congregationum (3). Difficultas iuridica pro monialibus, si quae adduci potest, provenit ex lege clausurae, (can. 601) sed, interveniente facultate a S. Sede facta pro ratione foederationis, haec difficultas faciliter solvitur.

Methodus vero a documentis pontificiis secuta diverso modo procedit, scilicet intrinsece considerando ipsam conditionem Monasteriorum monialium (4).

(3) Hoc recolit PIUS XII in allata Allocutione ad Monachos Benedictinos.

(4) Hoc modo ipsa conditio iuridica Monasteriorum virorum elucidata evadit.

Art. VI Stat. Gen. affrat Monialium monasteria esse sui iuris et hoc ex Codice et ad normam ipsius Codicis iuris canonici (can. 488, 8.^o) atque hoc charactere distingui ab aliis domibus religiosis mulierum. Character sui iuris vocatur etiam autonomia (VI, § 2, 1.^o).

Opportuna est haec affirmatio Codicis, quae quodlibet dubium aufert circa hanc conditionem domorum Monialium et circa eiusdem consequentias (5): statim enim additur Antistitas Monasteriorum monialium in iure venire nomine Superiorum Maiorum ad normam can. 488, 8.^o

Utile est animadvertere quod character autonomiae monasteriorum monialium iterum sancitur et confirmatur in documento et in articulis quibus vii praeparatur ad constituendas foederationes Monialium.

Character sui iuris et autonomia acquirantur.

Character sui iuris iuridice idem est ac autonomia prouti expresse continetur in art. VI, § 2, 1.^o et aliis in locis dicitur, scilicet art. VII, § 5, 1.^o et 2.^o. Const. Ap., p. 13; Inst., art. XXIII, 5.^o (6). Unde autonomia non est confundenda cum independentia et omnimoda separatione Monasteriorum inter se, de quibus in art. VII St. Gen.

Ambitus autonomiae.

Statuta autonomia Monasteriorum Monialium, quae omnino convenit cum autonomia Monasteriorum virorum (can. 488, 8.^o), ad finem instauracionis Unionum Monasteriorum, summi momenti est definire et illustrare vim et ambitum praedicti characteris, quod habetur in art. VI, § 2, 1.^o St. Gen.

“Ambitus...”

Ideo duplex est fons ex quo hauriri debet vis autonomiae, ius commune seu C. I. C. et subsequentes leges generales Ecclesiae et ius particulare, seu leges et statuta pro quibusdam Monasteriis lata a legitima auctoritate (7). Ex Codice uti effectus autonomiae, seu characteris sui iuris, deducitur:

1.^o Quod Superiores illarum domorum recensentur inter superiores maiores can. 488, 8.^o Hoc expresse asseritur et confirmatur pro Superiorissimis Monasteriorum Monialium (St. Gen., VI, § 1, 2.^o) (8) ergo: a) ne-

(5) Cfr. A. LARRAONA, C. M. F., in “Commentaria pro Religiosis”, 4 (1923), pp. 41 ss.

(6) A. LARRAONA: “Commentarium pro Religiosis”, 3 (1922), p. 134. “*Domus ergo sui tutis illa dicitur quae in suo interno regime autonoma est.*”

(7) *Quaeilibet norma qua aliqua Religio regitur, dummodo sit legitime lata, vocari potest ius particulare*

(8) *Doctrina tam sufficienter certa erat ante promulgationem Constitutionis Apostolicac “Sponsa Christi”.*

queunt aequiparari, quoad effectus iuridicos, superioribus minoribus seu localibus; pro ipsis non applicatur, ex iure communi, secunda pars can. 505, seu lex de triennio, sed prima pars eiusdem canonis in qua praescribitur temporaneitas ipsarum superioratus non vero determinantur limites temporis (9); b) habilitas ad hoc munus regitur praescriptionibus can. 504 (10); c) si alios superiores maiores supra se, aliquo legitimo titulo, habent, subiectionem non eandem ac subiectionem superiorum minorum localium esse (can. 501, § 3).

2.^o Domus sunt sui iuris: ergo: a) si adunantur in alios organismos v. g. in Congregationem vel foederationem monasticam et si ipsae congregations seu foederations in ulteriores organismos uniuntur v. g. Ordinem, confoederationem, quoad effectus dependentiae non aequiparantur domibus religiosis non sui iuris, quae partes sunt immediate vel per Provincias alicius religionis (cans. 501, § 3; 494, § 2; 488, 2.^o; 488, 6.^o; 488, 8.^o) (11).

b) Domus sui iuris ipso facto legitimae erectionis (c. 497, § 1) ius habent instituendi novitiatum, quin peculiaris licentiae Sedis Apostolicae egeant (can. 544, § 1) (12).

c) Domus sui iuris analogiam habet cum Provincia et etiam cum ipsa religione. Dici potest, in genere, potestatem Superioris domus sui iuris excedere potestatem alicuius Provincialis.

3.^o Quoad personas statuit can. 632 non licere ab uno Monasterio sui iuris ad aliud etsi eiusdem religionis transire sine auctoritate Sedis Apostolicae; seu personas stabilitate in proprio Monasterio gaudere (13).

Non aliae consequentiae autonomiae inveniuntur in Codice iuris Canonici, nec aliae desumi possunt a legibus generalibus post Codicem editis. Non habentur enim leges generales quae de hoc agant praeter Const. Apost. "Sponsa Christi" et Instr. S. C. de Religiosis "Inter praecleara". In Constitutione Apostolica "Sponsa Christi" nulla alia ponitur definitio autonomiae praeter illam quae in Codice continetur. In Stat. Gen. art. VII, § 5, 1.^o, sermo fit de praecipua ratione autonomie quae definita dicitur in § 1 eiusdem articuli. In Instructione S. C. de Religiosis uti essentia autonomiae commemoratur illa elementa de quibus in can. 488, 2.^o, 8.^o (art. XXIII, 5.^o).

(9) In can. 505 explicite servantur Constitutiones quae aliter praescribunt.

(10) Eligibilitas harum Superiorissarum regitur unice a praescriptis Constitutionum.

(11) Effectus unionis desumendi sunt ex iure particulari (can. 501, § 3) in quo definitur ius interveniendi sive quoad personas sive quoad bona aliqua negotia.

(12) Cf. VERMEERSCH-CREUSEN: *Epitome Iuris Canonici*, t. I, n. 706.

(13) Frequenter stabilitas constituit obiectum voti particularis.

Autonomia admittit gradus.

Sive ex Codice i. c. (can. 501, § 3) sive ex C. Ap. "Sponsa Christi" sive ex Instruct. S. C. de Religiosis appareret autonomiam seu characterem sui iuris ulteriores admittere determinationes, quae, salvis effectibus essentialibus supra descriptis, definienda relinquuntur iuri particulari. Can. 501, § 3 potestatem et iurisdictionem Abbatis Primatis et superioris Congregationis monasticae definiendam relinquit constitutionibus, exceptione facta relate ad Superiores Congregationis monasticae pro casu dimissionis aliquius religiosi votorum perpetuorum (can. 655, § 1) et pro recursu in secunda instantia in causis tractatis ab Abbatे locali Monasterii (can. 1.594, § 4). Constitutiones ergo hanc auctoritatem definire valent ad instar potestatis superiorum maiorum de quibus in can. 502 relate ad domus et ad sodales.

Definitio a Constitutionibus facienda continetur inter aliquid maximum et aliquid minimum: si duo termini exceduntur vel habetur aliqua religio centralizata vel deest vinculum iuridicum et efficax inter diversa monasteria vel uniones monasteriorum.

Nihil vetat quominus alicui Abbatи vel Superiori supremo, quovis nomine ipse vocetur, plura vel etiam omnia Constitutiones assignent quae Superiori supremo vel alio Superiori maiori in Religionibus centralizatis ius commune et ius particulare attribuunt (14); in casu, adhuc monasteria vel domus religiosae autonomia seu sui iuris remanent, dummodo salvetur autonomia essentialis scilicet: character superioris maioris pro superiore locali, et exclusus maneat alius superior maior potestate propria donatus inter superiorem localem et superiorem supremum (15). Art. VII, § 5, n. 1., St Gen. expresse dicit nihil vetare "quominus quaedam huius autonomiae inducantur aquae conditiones et intermissiones quae necessariae vel magis utilles videantur".

Utiliter animadvertis potest quod intermissiones autonomiae in hoc articulo contemplatae salvam relinquunt ipsam autonomiam essentialem et potius respiciunt illam autonomiam qua de facto in praesentibus adiunctis fruuntur Monasteria Monialium et quae plura includit quae non necessario supponuntur vel requiruntur ab autonomia ratione sui (16).

(14) A. LARRAONA, C. M. F.: "Commentarium pro Religiosis", 3 (1922), p. 134, nota 202.

(15) Autonomia etiam ex Codice non excludit aliquem Superiorum supremum, Monasteria enim Monachorum dicuntur esse sui iuris et nihilominus supponuntur esse unita alicui Congregationi monasticae, cui praeest Abbas Praeses vel Abbas generalis et iste Abbas venit nomine Superioris supremi; v. gr., in can. 655, § 1.

(16) Omnes intermissiones seu mitigationes autonomiae quae locum habent in Ordinibus vel in Congregationis monasticis virorum absque dubio indui valent etiam in Foederationibus seu Unionibus Monialium.

In Monasterio a quovis alio separato autonomia est maxima, quatenus ex una parte excludit interventum cuiuslibet alius superioris et ideo aequivalet independentiae, ex alia parte secum fert totam potestatem qua necessaria est pro regimine Monasterii quoad personas et quoad bona. Ipso facto quo Monasterium unitur alicui organismo iuridico donato aliqua potestate circa Monasteria et membra praedicti organismi, necessario cessat plena independentia et potestas superioris maioris Monasterii etsi tota remaneat, in exercitio saltem aliquarum facultatum alteri subditur (17): frequentius tamen ipsa auctoritas sive Capituli sive Superioris afficitur in sua extensione et efficacitate, hoc sensu quod actus vel dispositio plenam affectum non sortitur nisi interveniente superiore auctoritate, v. g. electio Superioris eget confirmatione; vel quidam actus subtrahuntur competentiae capituli vel Superioris maioris localis, ita ut ad validitatem intervenire debeat superior altioris gradus vel ipse actus poni nequeat nisi a superiore altiore. Quo intensior et frequentior est interventus altioris Superioris, seu quo amplior est eius auctoritas, eo magis reducitur autonomia Monasterii eiusque Superioris.

Huiusmodi intermissiones seu condiciones autonomiae possunt apparetre necessariae vel utiles iuxta diversus casus, scilicet attento spiritu, traditione, genere vitae, etc. Monasteriorum: proportionatas eas oportet esse finibus quibus ipsa Foederatio Monasteriorum ordinatur.

Assecutio finis Foederationum obtineri nequit sine reductione autonomiae et quo amplior est finis praedictus, eo efficaciora media ad usum ipsius Foederationis supponuntur, et consequenter, eo magis reduci debet autonomia singulorum Monasteriorum.

Ordinatio cuiusque foederationis, uti postea, melius dicetur, a pluribus adiunctis pendet et in primis a fine concreto qui proponitur Monasteriis uniendis et quem ipsa assequi intendunt et praesertim pendet a mediis quae adoptanda videntur pro certa et efficaci praedicti finis consecutione. Haec media in concreto consistunt: a) in introductione alicuius auctoritatis superioris cum onere et cum iure ducendi Monasteria ad finem praestitutum: ut habeatur efficax directio necessario supponitur Superiorum praeditum esse aliqua vera auctoritate cum consequentibus obligationibus in membris foederationis: auctoritas in superiore et obligationes in membris sunt correlative. Auctoritas vero potest esse magis vel minus ampla et hoc quoad Monasterium qua tale, quoad capitulum et superiorum Monasterii, quoad personas et tandem quoad res ipsius Monasterii... Quo maior est auctoritas Superioris, Foederationi praepositi, eo magis reducitur autonomia ipsorum

(17) Unde vel rationem reddere debet alicui Praeposito vel ab ipso corrigit potest.

Monasteriorum. Quaevis foederatio ad hoc instituenda est ut aliquod bonum ipso Monasterio procuret et ut de facto efficaciter hoc bonum, etsi minimum, habeatur necessarium est inducere auctoritatem: nulla foederatio concipi potest sine aliqua auctoritate eidem praeposita, consequenter nulla foederatio concipi potest sine aliqua, etsi minima, reductione autonomiae quam de facto Monasteria ante unionem habebant.

Genus vitae, traditio, spiritus Monasteriorum vel illorum actualis voluntas, legitime expressa, requirere possunt strictiorem unionem et collaborationem et ideo frequentiorem et intensiorem interventum Superiorum Foederatione praepositorum et ideo ampliores condiciones et intermissiones autonomiae, quin tamen illud minimum quod requiritur a conceptu autonomiae in C. I. C. rancito, destruatur.

Reductio autonomiae ex iure particulari ita potest extendi ut de facto habeatur tantummodo illud minimum quod supponitur a C. I. C. (can. 488, 8°) et quod, ex regula, manera debet vi Statutorum Generalium (art. VI, § 1, 1.º, 2.º, art. VII, § 5).

Regimen centralizatum.

Non excluditur quod unio seu foederatio Monasteriorum possit ita de vincere ad invicem Monasteria et illa subiictere Superioribus, supra Monasteria extantibus, sub quovis respectu, ut revera dispareat etiam essentialis autonomia, ex quo domus amittunt characterem sui iuris et superiores locales non amplius sunt superiores maiores. Art. VII, § 5, 2.º, istas formas foederativas quae imitantur rationem regiminis centralis speciali modo reservat S. Sedi et statuunt illos "sine expressa Ipsius concessione institui non posse".

Omnes foederations, ut postea dicetur, supponunt interventum Sedis Apostolicae, quando vero, potius quam foederatio, habetur coadunatio Monasteriorum ita ut exurgat aliqua persona moralis collegialis in omnibus vel fere in omnibus aequiparata Religionibus centralizatis, tunc interventus S. Sedis debet expresse respicere hanc peculiarem organizationem eamque permettere ac confirmare.

Ratio peculiaris interventus facile intelligitur, in casu enim ipsa figura Monasterii, prout a ire communi praevideatur et quae Monasterio competit ex fundatione, notabiliter mutata evadit (18).

Nemini effugere potest quantum opportuna sit dispositio allati articuli Statutorum Generalium: permittit enim illam plenam evolutionem Reli-

(18) In aliis casibus figura iuridica Monasterii nullo modo mutatur.

gionum mulierum votorum solemnium, quae praesertim a s. XVI ortae sunt cum fine analogo fini Religionum virorum; quae tamen hucusque impediebantur organizationem centralizatam assumere magis respondentem exigentiis operum apostolatus assumptorum, prouti comprobatur a diuturna experientia Religionum virorum cum votis solemnibus et ab experientia aliarum Religionum.

Non videtur posse nunc adduci sufficientem rationem quae valeat ostendere inopportunas vel impossibileas pro Religionibus mulierum votorum solemnium illas organizationes quae in usu sunt in Religionibus Regularium virorum. Unicum obstaculum posset esse diversum regimen clausurae, sed, stante clausura minori, prouti definitur in documentis pontificiis, ipsam clausuram non impedit illas traslationes personarum quae necessariae vel opportunae sunt ratione apostolatus vel ad bonum ipsarum Religionum.

Consequenter Monasteria Monialium coadunari possunt eadem ratione qua Monasteria virorum inter se coadunantur, scilicet; cum regimine centralizato sicut in Ordinibus virorum et cum regimine non centralizato. Hoc vero potest maiores vel minores inducere mitigationes autonomiae iuxta casus prouti accidit in diversis congregationibus vel Ordinibus monasticis virorum.

Uno verbo: illa quae facta sunt pro religiosis viris votorum solemnium vi Const. Apostolicae et Instruct. S. C. de Religiosis fieri possunt etiam pro religiosis mulieribus votorum solemnium.

En maxima innovatio et accomodatio instituti Monialium!

3. INDEPENDENTIA

Art. VII, § 1 Stat. Gen. affirmat quod Monasteria monialium, praeterquam sui iuris, sunt "etiam iuridice distincta atque invicem independentia" et explicat in quoniam consistat illa independentia; scilicet, in absentia vinculorum praeterquam moralium et spiritualium, etiam in casu Monasteriorum quae profitentur eandem regulam et pendent ab eodem Primo Ordine vel ab eodem Superiore regulari (19). De facto possunt adesse vincula ratione professionis eiusdem regulae et Constitutionum, ratione communis subiectionis Superiori regulari, vel incorporationis eidem Ordini vi-

(19) Aliquando inter quaedam Monasteria adest quaedam unitas moralis quae in communione fundatur vel in professione eiusdem Regulæ earundemque Constitutionum. Non desunt causas in quibus inter haec Monasteria sic unita seu coniuncta quaedam praeminentia determinatio Monasterio agnoscatur: ita, Monasterio Visitacionis Anneciensi semper ab omnibus Monasteriis Ordinis Visitacionis agnita est quaedam moralis superioritas.

rorum, vel ratione communis originis ab aliquo Monasterio quae in hoc casu manifestantur etiam per relationes caritatis et quandam proeminenciam agnitam Monasterio primo.

Relationes huiusmodi vero nullo modo afficiunt regimen Monasteriorum, hoc unice pendet a propriis Superioribus et ab illis de quibus agit Codex I. C. et ideo excludit quemlibet interventum Superiorum altiorum internorum qui praepositi sint organismis in quibus convenient Monasteria. Monasteria monialium sunt ab invicem distincta atque separata nec ullo modo conveniunt in organismo iuridico superiore cum proprio regimine. Ex separatione seu isolationismo Monasteriorum sequitur eorum independentia.

Independentia de qua hic agitur vocatur etiam mutua libertas (St. Gen., art. VII, §§ 1, 2), scilicet exemptio ab interventu et ab actione aliorum Monasteriorum vel organismorum ex Monasteriis constantium.

Independentia differt ab autonomia.

Independentia seu mutua libertas non est confundenda cum autonomia: haec, prout supra explicatum est particularis conditio iuridica Monialium vi cuius quidam effectus agnoscantur sive relate ad superiorem sive relate ad organizationem Monasterii et sancita invenitur in iure.

Independentia non imponitur a iure.

Mutua libertas vel isolatio Monasteriorum Monialium nullo in canone nec in Ecclesiae recentioribus documentis statuitur vel sancitur: neque dici potest Monasteria a iure Ecclesiae supponi independentia; sed potius affirmandum est ignorari a iure Ecclesiae Monasteria Monialium in Congregationibus vel Unionibus Monasticis convenientia; nullibi vero istae ventantur vel uti minus consentaneae bono Monialium dicuntur descripta conditio non est ergo res iuris sed res facti: talis enim fuit hucusque praxis in Ecclesia pro Monialibus (20). Ultima vero periodo haec praxis exceptiones patitur, inductae enim sunt nonnullae Foederationes Monasteriorum. Ex dictis clare intelligitur cur in St. Gen. art. VI, § 2, dicatur quod Foederationes non debent "haberi ut iure prohibitae": inductio Unionum vel

(20) Itaec praxis pluribus ex rationibus explicari potest, scilicet: a) ex necessitate servandis clausuram et proinde evitandi ingressum et egressum Monialium ab uno ad aliud Monasterium, licet in nonnullis Ordinibus usus extiterit recurriendi ad alia Monasteria, quando in proprio devenirant personae aptae pro diversis officiis; b) ex presupposito mulieres inhabiles esse pro suspiciendo et exercendo regimine et directione Unionum seu Foederationum plurium Monasteriorum, vel organismi compositi ex Monasteriis in diversis dioecesis sitis; c) ex dependencia ab aliquo primo Ordine vel ex dependentia Monasteriorum ab Ordinario loci.

Foederationum iam facta vel in futuro facienda non est quid *contra ius canonicum conditum*, potius dici debet praeter ius Codicis.

Foederations nequeunt dice minus consentaneae.

Praeterea in allato articulo adsunt verba bene notanda: *destructio vel imminutio isolationismi et consequentis independentiae non potest retineri uti minus consentanea "naturae et finibus vitae religiosae Monialium".*

In quolibet genere vitae religiosae et ideo etiam in vita religiosa Monialium ut saepe animadvertisit Romanus Pontifex in Const. Ap. distingui debent elementa essentialia, quae proveniunt ab ipsa natura vitae religiosae specificae, et elementa quae a momento historico et ab adiunctis locorum inducuntur. Ipsa natura vitae religiosae Monialium quae contemplativa est vel contemplativa cum operibus apostolatus coniuncta, ex se nullo modo postulat independentiam Monasteriorum: nec dici potest hanc vitam religiosam iuvari vel profectum sumere a mutua libertate: contemplatio sola vel cum operibus copulata aequali ratione de se locum habere et evolvi potest in Monasteriis inter se coniunctis et in Monasteriis ab invicem separatis.

Attentis conditionibus in quibus nostro tempore versantur Monasteria et externis adiunctis quae quam maxime differunt ab adiunctis saeculorum praeteritorum, cuiuslibet generis commoda plurima et maximi momenti nunc oriri possunt ab unione Monasteriorum, et hoc asserebat Summus Pontifex in allocutione Monachis O. S. B. habita in basilica S. Pauli et hoc repetit in praesenti Constitutione Apostolica.

Foederations sunt magis consentaneae.

Vita religiosa Monialium in se non differt a vita religiosa contemplativa Monachorum: pro istis ius canonicum supponit et saltem implicite imponeat coniunctionem Monasteriorum ita ut etiam praxis S. Sedis ex regula non admittat Monasterium virorum alicui Congregationi vel Ordini non incorporatum et, si de facto aliquando hoc conceditur semper praevideat S. Sedes ut Monasterium, ita separatum vel independens, vigilantiae et visitationi Superiorum cuiusdam Congregationis vel Ordinis subiiciatur.

Haec ratio agendi S. Sedis relate ad Monasteria virorum innititur in incommodis provenientibus ab isolationismo et in commodis quae sequuntur foederations: cum vero eadem incommoda et pariter commoda aequali ratione praesertim nostris temporibus locum habeant pro Monasteriis Monialium, necessario concludi debet foederations Monasteriorum Monialium respondere eorundem bono et ideo vere consentaneas esse eorundem vitae religiosae.

Nulla solida vel valida argumenta offerri valent contra opportunitatem vel convenientiam Foederationum Monasteriorum mulierum.

Unio Monasteriorum in aliquo organismo, Foederatione, Ordine, etc. destruit isolationismum illorum et consequenter independentiam si per ipsam separationem Monasteriorum intelligitur, tamen non destruir libertatem et consequenter autonomiam Monasteriorum sed illam quoad nonnulla tantum de se coarctat, scilicet quoad illa quae afficiunt unionem uti tam (21).

Unde Foederationes omnino harmonice componi possunt cum autonomia et independentia Monasteriorum.

4. HABITUDO MONASTERIORUM AD ORDINARIOS SIVE LOCORUM SIVE REGULARES

In art. VI, § 2, 2.^o et 3.^o, statuitur relatio Const. Ap. cum iure sive communi sive particulari definiente habitudinem Monasteriorum Monialium relate ad Ordinarios sive agatur de Ordinariis locorum sive agatur de Ordinariis regularibus.

Codex I. C., can. 615, praevidet Monasteria dependere posse a Regularibus et hic ea dicit exempta et dependere posse ab Ordinario loci et tunc ea dicit non exempta. Diversis postea in canonibus quoad singula definiuntur iura Ordinariorum locorum quoad Monasteria non exempta et quoad exempta ab illorum iurisdictione (22).

Ius particulare nonnullas alias normas afferit pro Monasteriis singulis diversorum Ordinum circa interventum Ordinariorum locorum in directione et in vita Monasteriorum et Monialium (23). Ipsum vero ius particulare est praecipua fons ex qua dignoscuntur iura et facultates Superiorum Regularium in Monasteria ab ipsis dependentia: relationes enim inter Monasteria Monialium et respectivos Ordines virorum statuuntur in Constitutionibus et in aliis fontibus iuris particularis (24) sive Religionum viorum sive ipsarum Monialium: aliquando habentur peculiares dispositiones S. Sedis.

A iure particulari sive ab auctoritate pontificia emanato vel sancito, sive a propriis superioribus internis legitime statuto definiuntur formae quibus Monasteria Monialium connectuntur cum Religionibus virorum:

(21) Ambitus competentiae, auctoritatis, praepositae Unioni seu Foederationi Monasteriorum est minima, si comparatur cum regimine et directione singularum Domorum in Religione centralizata.

(22) Cfr. A. GUTIÉRREZ, C. M. F.: "Commentarium pro Religiosis", 23 (1949).

(23) Ita in Ordine Visitationis, in Ordine Dominae Nostrae a Charitate, etc.

(24) Huiusmodi fontes possunt esse Directoria, Collectiones consuetudinum, etc.

Monasteria possunt esse simpliciter dependentia et haec dependentia afficit Religionem uti talem et consequenter supriorem supremum, vel aliquam Provinciam vel determinatum Monasterium vel conventum religiosorum (25). Monialium Monasteria possunt quoque esse incorporata (26) alicui Monasterio virorum.

In ipso iure particulari praeterea quoad singula determinantur iura et facultates diversorum superiorum sive collegialium nempe Capitulorum, sive individualium, Moderatoris supremi scilicet, Provincialis vel localis.

Constitutio Apostolica in n. 2.^o, § 2, art. VI Stat. Gen. considerat *tutelam iuridicam* (n. 2.^o) quam ius agnoscit Ordinariis sive locorum sive Ordinariis religiosis quoad singula Monasteria et in n. 3.^o considerat alias iuridicas relationes Ordinarii.

Tutela iuridica non est nisi pars iuridicarum relationum, expressa de ipsa mentio fit, connotat enim vigilantiam ut abusus et damna praeveniantur (27) et interventum ad abusus extirpandos. De haec tutela iuridica expresse decernit Constitutio quod nullo modo eidem derogatur a praescriptis Constitutionum proinde integra permanet; insuper dicit nullam derogationem eidem fieri per instaurationem Foederationum Monasteriorum.

In Instructione, prout legenti subito appareat, praevidetur possibilitas in casibus particularibus derogationem afferendi huic normae generali: derogatio tamen non est praesumenda sed omnino probanda, debet enim esse expressa et legitime facta. Ipsa non oritur ex natura foederationis nec est necessario cum foederatione connexa; quinimmo ex norma supra relata facile deducitur constituere quid exceptionale quod fundamentum invenire posset in particulari modo ordinandi aliquam foederationem ex particularibus et exceptionalibus rationibus.

De hac derogatione, si quae affertur, idem dicendum esset ac de derogatione autonomiae essentialis Monasteriorum pro inducendo regimine quod accedat ad rationem regiminis centralis, reservata speciali modo S. Sed nec sine expressa ipsius concessione institui posset (St. Gen., art. VII, § 5, 2.^o).

Exceptio praevideri posset in favorem cuiusdam regiminis centralis; item, proemisso quod inductio regiminis centralis nunquam imponetur; et quod solummodo uti rara exceptio, bene fundata, concedi posset; addendum est revera ad tale regimen inducendum nullo modo necessarium appa-

(25) Aliquando in eadem Religione habentur Monasteria dependentia a Moderatore Supremo, alia dependentia a Superiori Provinciali.

(26) Quaedam Monasteria Monialium Cisterciensium incorporata etiam nunc sunt alicui Monasterio Monachorum Cisterciensium vel Cisterciensium reformatorum seu Trappistarum.

(27) Cans. 603; 533, § 1, 1.^o; 12, § 2; 512; 647, § 1; 652, § 2; 549, etc.

rere reducere vigilantiam et interventum quam ius agnoscit Ordinariis locorum in Monasteriis Monialium: haec enim optime componi possent cum regimine centrali prout de facto evenit in Congregationibus iuris dioecensi. Idem dici potest quoad iura et interventum Ordinariorum religiosorum.

Ergo exceptio praewisa in n. XX Instructionis remanet quid omnino extraordinarium nec potest rationabiles timores ingerere de ammitendis propriis iuribus (28).

Bene animadvertisendum est hic agi de relationibus iuridicis singulorum Monasteriorum, scilicet ut entia localia, singularia; in Codice enim non aliter considerantur; non vero fit mentio de relationibus Ordinariorum cum Foederationibus Monasteriorum et de Monasteriis prout foederatis: huiusmodi relationes non ordinantur in Codice I. C., sed reguntur ab ipsa Const. Ap. et ab Instr. S. Sedis et in particulari a Statutis Foederationum a S. Sede approbandis. Foederationes excedunt limites alicuius dioecesis et eriguntur in bonum totius Ordinis vel alicuius partis Ordinis cuius Regulam Monasteria profitentur, et uti tales nequeunt pendere ab Ordinario cuiusdam loci particularis.

Pariter, Foederationes excedere possunt Provinciam religiosam respectivi Ordinis virorum; et, insuper, fines ad quos constituuntur diversi sunt ab illis qui fundant dependentiam singulorum Monasteriorum ab Ordine religioso vel saltem non eadem efficacitate attingi valerent: quapropter ex una parte Ordines religiosi nulla iura circa Foederationes sibi vindicare valent ex ipso iure communi.

Difinita efficacia Constitutionis relate ad conditiones iuridicas in genere cum Ordinariis locorum et cum Ordinariis religiosis, Summus Pontifex in § 3 allati articuli asserit non affici a Const. factum concretum actualis dependentiae Monasteriorum sive ab Ordinario loci sive a Superiori regulari: factum ipsum immutatum relinquit prout in se viget; nec, insuper, iudicium fert de ipso facto, nec normam generalem praebere intentit iuxta quam sit decernendum quibusnam Monasteriis debeat, "intra terminos iuris", agnosci exemptio. Ergo quaestiones iuridicae circa applicationem canonum de exemptione Monialium nullam solutionem inveniunt in praesenti Constitutione et ipsum factum dependentiae singulorum Monasteriorum ab Ordinario loci et non ab Ordinario religioso, non obstante professione regulae Ordinis respectivi, et non obstante praecedenti dependentia ab Ordine, agnoscitur, sed iudicatur.

(28) Hoc possibile fuisse etiam si nihil diceretur in documentis pontificis.

Forsan utilitate non vacat adnotare ex Const. Apostolica et ex Instruzione S. C. nihil adduci posse quod prodat mentem S. Sedis circa aptitudinem et opportunitatem systematis dependentiae singulorum Monasteriorum ab Ordinibus religiosis, prout in iure antiquo viguit et in Codice agnoscitur, ad promovendum incrementum Monasteriorum mulierum per illa commoda et bona quae a Const. Apostolica intenduntur et quae modo nostris temporibus obtainenda praevidentur ex foederationibus.

Tandem liceat concludere quamlibet objectionem et difficultatem contra instaurationem foederationum nixam timore, ex parte quorundam Ordinariorum sive locorum sive religiosorum, amittendi propria iura circa Monasteria destitutas esse solido fundamento: interventus horum Superiorum, prout regitur in concreto a iure actuali et de facto legitimus, est immutatus relinquitur a duobus documentis pontificiis de quibus agimus.

II. DE IPSIS FOEDERATIONIBUS

I. MENS SANCTAE SEDIS

Potissima accommodatio, quam Romanus Pontifex instaurare intendit quoad Monasteria Monialium, afficit eorundem habitudinem et relationes inter se: innovatio quae ab ipso inducitur exhibetur uti optimum remedium pro praecavendis incommodis et malis in quibus multa Monasteria nostris diebus versantur. Haec incommoda non raro proveniunt ex eo quod mutatis circumstantiis et profunde innovatis adiunctis, Monasteria adhuc servant quaedam elementa extrinseca et accidentalia quae suggesta fuerant a circumstantiis et adiunctis praeteritorum temporum, et quae ideo inepta evadunt pro prosecutione finis ad quem instituta fuerant, et, quod peius est, impediunt instaurationem illarum innovationum quae respondent circumstantiis et adiunctis nostrorum temporum tali modo ut non raro causa censemantur plurium damnorum.

Romanus Pontifex, sapientibus verbis, haec omnino recolit quando in parte doctrinali et normativa Constitutionis relate ad autonomiam seu mutuam libertatem Monasteriorum affirmat "Mutatis rerum adiunctis, plura iam suadent, ac non raro postulant, Monasteriorum Monialium consociationem" (p. 13). Enumerat ideo bona praecipua quae obtainentur per dictam innovationem circa autonomiam: "facilior ac convenientior officiorum distributio, utilis ac saepe necessaria Religiosarum ab uno ad aliud Monas-

terium variis de causis ad tempus translatio, oeconomicum iuvamen, laborum coordinatio, observantiae communis defensio" (p. 34).

Summus Pontifex obiectionibus et difficultatibus quae fieri possent responcionem praebet adducendo exemplum et experientiam Congregationum Monasticarum virorum et etiam specimen Unionum ac Foederatum Monasteriorum Monialium ex quibus omnibus eruitur et comprobatur: necessariam autonomiam intactam manere, rigorem clausurae non ex hoc enervari, recollectionem et severiorem disciplinam vitae monasticae indemnem perseverare. Haec omnia, Ipse dicit, "certe et secure" comprobantur.

Tandem contra possibles exaggerationes in hac materia animadvertisit et erectionem Foederationum et earundem Statutorum approbationem Sanctae Sedi reservatas manere.

In parte dispositiva Const. Apost., illa concinnitate quae propria est legum, Summus Pontifex, clare et firmiter enuntiat ex plena separatione mala et incommoda oriri posse quibus per introductionem Foederationum praecavetur et insuper per eandem provehendam fore regularem observantiam vitamque contemplativam (St. Gen., art. VII, § 2, 2.º).

Affirmatio S. Pontificis aliqualiter evolvitur in Instructione S. C. "Inter praeclara" in qua S. C. asserit rationem introductionis systematis foederationum reponi: 1.º in necessitate praeviniendi et eliminandi damna "quae gravius et facilius Monasteriis prorsus independentibus obvenire solent", quae damna "per unionem efficaciter magna ex parte" evitari possunt; et 2.º in aptitudine praedictae systematis "ad bona spiritualia et temporalia fovenda" (Instr., art. XVII).

Verba ex documentis pontificiis desumpta indubie hoc continent: 1.º ex plena independentia Monasteriorum in praesentibus adiunctis, provenire posse damna seu mala et incommoda et hoc facile et gravibus cum consequentiis, quinimmo de facto haec damna obvenire *solere*, seu frequenter et pro pluribus Monasteriis locum habere; 2.º unionem inductam inter Monialium Monasteria *modo efficaci* remedium afferre magnae parti horum malorum; 3.º tandem unionem non solum praecavere mala, sed etiam, natura sua, aptam esse efficaciter foevendi pro Monasteriis bona temporalia et spiritualia, incrementum scilicet regularis observantiae et vitae contemplative.

2. ILLUSTRATIO ILLORUM QUAE CONTINENTUR IN DOCUMENTIS PONTIFICIIS

Illustratio ac comprobatio illorum quae a Const. Apost. et ab Instr. S. C. de Religiosis asseruntur fieri posset fuse exponendo tria relata puncta: cum

tamen sive damna isolationismi sive commoda Unionum, experientia et factis, pateant, sufficiat quaedam tantum adducere.

Mala quae provenire possunt ex plena independentia Monasteriorum pro magna parte illa sunt quae causam dederunt ipsis documentis pontificiis et iam supra commemorata fuerunt.

Documenta pontificia non dicunt nec nos asserere volumus quod omnia Monasteria Monialium autonoma seu independentia de facto affici a malis praefatis: plura enim ex ipsis florent regulari disciplinae observantia, operibus apostolatus efficacibus et aptis mediis incumbunt et sufficientibus mediis oeconomicis fruuntur sed, utique haec valerent pro omnibus! In hoc potius insistitur quod adducta damna facilius, etsi natura sua non necessario, afficiunt Monasteria independentia quatenus isolationismus impedit usum plurium mediorum quibus damna praeaveri possent.

Bona quae ex ipsa natura Unionum facilius et uberiori oriuntur recententur in Const. Apostolica p. 13 et illa sunt quae prae oculis habebat Summus Pontifex quando in basilica S. Pauli in allocutione Congregationibus Benedictinorum extollebat sapientem solutionem et providam innovationem inductam a Leone XIII qui eos in Confoederationem coadunavit "cum mutata adiuncta rerum et communis utilitas id postularent" (A. A. S., 39, 1947, p. 454), et magnificabat uberes fructus allatos a Monasteriis in Congregationem coniunctis.

3. DISPOSITIONES

Attentis omnibus quae praecedunt et quae mentem S. Sedis manifestant, quis in parte dispositiva expectare potuisset praeceptum vel severum monitum omnia Monasteria Monialium cogens ad incundas uniones seu foederationes, vetans proinde plenam a quovis Monasterio separationem seu solitudinem; quod non esset nisi applicatio et extensio pro Monialibus iuris vigentis pro Monasteriis monachorum et aliis religiosis domibus vitorum.

In historia iuris religiosorum, cum aliqua reformatio vel accomodata renovatio necessaria vel utilis appareat, non rarae sunt severae impositions ex parte Ecclesiae quibus bonum Religionum in tuto positum est (29).

(29) Ut exempla adduci valent suppressio a S. Pio V Communitatuum Tertiatarum votorum simplicium per Constitutionem "Circa pastoralis" diei 29 Maii 1566 et praesertim suppressio ab eodem Pontifice omnium Congregationum virorum sine votis solemnibus sanctita per Constitutionem "Lubricum vitae genus" diei 17 Novembris a. 1568.

Suum momenti est prae oculis habere rationem qua Ecclesia agit pro inducendis Unionibus seu Congregationibus Monasteriorum sui virorum. In Concilio Lateranensi IV praescribuntur Capitula regionalia quolibet triennio celebranda quibus interesse debent omnes Abbates vel Priors proprios Abbates non habentes. In huiusmodi Capitulis agendum erat de reformatione Ordinis et de observantia regulari in eoque eligendi erant Visitatores cum munere visitan-

E contra, sive articuli Statutorum Generalium sive dispositiones Instructionis S. C. de Religiosis non habent verba exprimentia praeceptum vel continentia impositionem, quinimmo in illis explicite dicitur non adesse impositionem seu praeceptum. Dicit n. 2, § 2, art. VII Statutorum Generalium "Etsi ex regula Foederations non imponantur...", asserit n. XVII Instructionis, continent vero vivam adhortationem: Foederations "valde commendantur" (St. Gen., 1, 1), "enixe commendantur" (n. XVII Instructionis), "plura iam suadent Foederations" dicit Romanus Pontifex in parte expositiva (p. 13).

Vis commendationis.

Vis huius commendationis manifestatur si attenduntur ipsa verba, ipse contextus et finis seu spiritus Documentorum.

Verba adhibita non exprimunt solam laudem vel approbationem huius innovationis sed etiam impellunt ad hanc accomodationem universim instaurandam et hoc per expressiones quae maximam vim addunt commendationi, scilicet: "valde", "enixe". Non posset aliquid fortius et vehementius commendari (30).

Commendationi et impulsui efficaciam addit Romanus Pontifex prae oculis fuse ponendo bona quae ex foederationibus oritura praevidentur et incommoda quibus medebitur (Const., p. 13; St. Gen., VII, § 2, 2.^o; Instr., n. XVII).

di omnes Abbaties ibique corrigendi et reformandi quae correctione et reformatione indigebant (cfr. c. 7, X, de Statut Monachorum, III, 35).

INNOCENTIUS III ad praefatam praescriptionem pro omnibus Monasteriis non dependentibus ab Episcopis ferendam, inductus fuit ab exemplo Cisterciensium. In Ordine Cisterciensium, singula Monasteria, servata propria autonomia, uni eidemque disciplinae subiciebantur sub vigilante visitationis periodicae et sub regimine Capituli generalis, celebrandi ad normam Cariae caritatis, Summo Pontifice CALLISTO II, die 23 Decembris 1119, confirmatae (JEAN-BERTHOLD MAHN: *L'Ordre Cistercien et son Gouvernement, des origines au milieu du XIII siècle* (Paris, 1945), pp. 61-67).

Concilium Tridentinum vero pracecepit Monasteriis virorum quae in determinatis conditionibus inventebantur, scilicet: "quae Generalibus Capitulo aut Episcopis non subsunt nec suos habent ordinarios regulares visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolice protectione et directione regi conseruerunt" ut, intra spatium unius anni, "intra annum" a fine Consilii computandum, in Congregationes coadunarentur. Concilium Tridentinum dedit etiam Instructionem circa modum inducendi et ordinandi Congregationes Monasteriorum: "Quod si infra limites unius Provinciae non sit sufficiens tallum Monasteriorum numerus ad erigendam congregationem, possunt duarum vel trium Provincialium Monasteria unam facere Congregationem. Ipsi autem Congregationibus constitutis, illarum *Generalia Capitula* et ab illis electi *Praesides* vel *Visitatores* eandem habeant auctoritatem in sua Congregationis Monasteria ac regulares in eis commorantes quam alii Praesides ac Visitatores in ceteris habent Ordinibus, teneantur suas Congregationis monasteria frequenter visitare et illorum reformationi incumbere..." (Cfr. Concilii Tridentini Sess. XXV, Cap. VIII "De Regularibus et de Monialibus".)

(30) Dicit potest quod per huiusmodi verba Summus Pontifex consequi volebat eundem ac si edidisset praeceptum.

In epistula diei 7 martii 1951, qua S. C. de Religiosis, ut muneri sibi commisso satisfaceret, mandatum dabat Exc.mis Nuntiis Apostolicis et Supremis Moderatoribus Religiosorum virorum Secundos Ordines vel quomodolibet Moniales sibi subditas habentes, curandi pro Monialibus respectivi territorii vel Regulae communicationem et explicationem pontificiorum documentorum, praedicti rogantur ut Foederationem in lucem ponant ac illustrent (31).

4. DIFFICULTATES PRAEVENIUNTUR

Praeterea expresse Romanus Pontifex obiectiones et difficultates atque timores qui alicubi moveri vel foveri possent praevenit atque easdem solido fundamento destituit dicendo foederationes et eorum bona fieri et obtineri posse "quin necessariae autonomiae derogetur, nec quomodolibet clausurae rigor evervetur vel recollectioni vitaeque monasticae severiori disciplinae damnum inferatur" (Const., p. 13).

Iam supra dictum est quomodo servari possit et debeat autonomia propria singulorum Monasteriorum.

Rigor clausurae et recollectionis spiritus Monialium relaxationem et damnum nullo modo patientur, quatenus uniendo plura Monasteria illorum natura et genus vitae Monialium immutata manent: Moniales stabilitatem servant in proprio Monasterio et nullo modo comparari valebunt aliis mulieribus religiosis quae ad nutum Superiorum transferri possunt ab una do-

(31) "Sia cura di V. E. raccomandare che dagli incaricati vengano illustrati alle Monache i seguenti punti..."

L'introduzione delle Federazioni dei Monasteri di Monache appare sorgente d'innumerevoli vantaggi d'ordine spirituale, disciplinare ed anche economico (A. A. S., a. c., p. 13).

Esortando i Monasteri a riunirsi in Federazioni il Santo Padre ripete nella Costituzione Apostolica, quanto già espresse nel 1947, nell'Omelia tenuta ai Benedettini nella Basilica di San Paolo.

L'uscire dal completo isolamento in cui si son trovati per secoli Monasteri professanti la stessa Regola e le medesime norme di vita e di spiritualità significherà: a) una mutua e fraterna collaborazione per il raggiungimento del proprio fine; b) la possibilità di meglio provvedere alla formazione delle giovani vocazioni e ancora di risolvere difficili situazioni in cui i Monasteri possono trovarsi; c) una garanzia di fedeltà allo spirito e tradizione propria dell'Ordine (Instructio, nn. XVII-XXII).

A tutto questo contribuirà la presenza e l'azione di un Assistente religioso di tali Federazioni, nominato dalla Santa Sede (Instructio, n. XXV).

Naturalmente, affinché le Federazioni stesse portino i frutti sopra menzionati sarà d'uopo che esse vengano diligentemente preparate e sapientemente ordinate. Questa S. Congregazione non mancherà di prestare la propria assistenza e dare tutte le istruzioni che i casi diversi richiederanno.

Le Federazioni renderanno anche più facile l'organizzazione di quel lavoro monastico produttivo, che viene presentato alle Monache come dovere di penitenza, mezzo di mortificazione e fonte di sostentamento (Statuta, art. VIII; Instructio, nn. XXVI-XXVII). Per favorirne lo sviluppo le autorità ecclesiastiche e le pie persone laiche non mancheranno di prestare la loro benevola collaborazione. Esso servirà, tra l'altro, a togliere i Monasteri dalle gravi difficoltà economiche in cui non pochi di essi si trovano.

mo in aliam. Translationes pro Monialibus praevidentur ad tempus (Const., p. 13 (Instr., n. XXII, 4.) et pro casibus moralis necessitatis vel magnae utilitatis (32), scilicet pro officiis regiminis vel directionis suscipiendis cum in Monasterio cui providendum est revera desunt personae sufficienter aptae (33), pro operibus apostolatus explendis (34) et pro necessitatibus materialibus seu oeconomicis Monasteriorum (35). Praeterquam ratione boni Monasterii ad quod, possilitas translationis praevidetur etiam ad bonum sive morale, sive materiale vel phisicum ipsarum Monialium (36) vel Monasterii (37) cui ipsae inscriptae sunt. Semper tamen in omnibus casibus uti causa necessaria supponitur necessitas vel magna utilitas quae correspondeat morali necessitatibus.

Unde, ratione ipsius foederationis casus transitus et mutuae praestationis sodalium supponuntur non esse frequentes et repetiti: omnino exclusa remanet facultas transeundi ad aliud Monasterium ex sola petitione Monialium pro quibus non militat causa necessitatis obiective talis iudicanda; exclusa quoque remanet facultas transferendi ad libitum Superiorissarum, etsi ob motiva non spernenda, sed non sufficientia ad constituendum casum necessitatis moraliter sumptae, ad normam Statutorum.

Possibilitas translationis istis terminis coarctata revera nequit haberi ut relaxatio clausurae et ut periculum pro spiritus recollectione et observantia regulari sive in Monasterio a quo sive pro Monasterio ad quod. Conclusio confirmatur, si bene attenditur, quod translatio pro maior parte casuum praevidetur in favorem Monasterii ad quod, et ideo supponitur afficere Moniales praestantes spiritu religioso et peculiaribus virtutibus et habitatibus praeditas: destinantur enim muneribus directionis et formationis. Pro aliis casibus quoque Moniales exemplares eligi debent; et Monasteria, in cuius utilitatem translatio fit, semper liber erit Monialem recusare vel illam remittere ad proprium Monasterium.

(32) Constitutio Apostolica (A. A. S., a. XLIII, 1951, p. 13) dicit "utilis ac saepe necessaria religiosarum ab uno ad aliud Monasterium variis de causis ad tempus translatio". In art. VII, § 8, 3, translatio praevidetur pro Monialibus quae in aliis Monasteriis "necessariae existentur" (Statuta Generalia). Idem repetitur in art. XXII, 3 et 4, Instructionis S. C. de Religiosis diei 23 Novembris 1950 "Inter praeclaras".

Summus Pontifex Pius XII in saepe citata Allocutione ad Monachos Benedictinos diei 18 Septembris 1947 clare innuit quod, si autonomia ita urgetur ut impedit communicationem personarum nonnulla Monasteria seu coenobia "demandato sibi officio imparia" flent. (A. A. S., a. XXXIX, 1947, p. 455).

(33) Haec necessitas iam induxit usum mutuae communicationis Monialium etiam inter Monasteria iuridice non unita, sed tantum aliquo alio vinculo morali coluneta.

(34) Praesertim in istis casibus valent verba Summi Pontificis in nota 32 commemorata.

(35) Casus necessitatis translationis Monialium ex motivo auxilli oeconomici afferendi rariores sunt ac illi qui ratione apostolatus suggesturuntur.

(36) Non raro per temporaneam mutationem Monasterii multae difficultates cuinslibet ordinis, sive pro Monasterio sive pro singulis Monialibus, evanescere poterunt.

(37) Per exemplum quarundam Monialium quae fideles sint regulari observantiae faciliter renovari potest vita religiosa Monasterii ad quod illae per aliquid tempus transferentur.

Tandem liceat animadvertere quod etsi aliquod incommodum haberi posset, v. g. frequentiores exitus quam nunc habentur, istud incommodum negligendum apparet si comparatur cum summa bonorum quae obtinentur et cum incommodis quibus remedium affertur. Mutuum adiutorium quod de facto praestatur per praevistas temporaneas translationes unum constituit ex potissimis mediis seu elementis accommodatae renovationis: ipsa Monasteria potius gaudio affici debent pro nova sollicitudine materna Ecclesiae, quae veteres leges aliqualiter innovat ut melius provideri possit religiosae observantiae, fidelitati spiritui proprio cuiusque Ordinis, et bono spirituali apostolico, et etiam oeconomico singulorum Monasteriorum (38).

5. PRAEVIDETUR IMPOSITIO

Sive Statuta Generalia sive Instructio S. C. praevident quod in casibus particularibus poterunt Monasteria cogi ad ineundas Uniones seu Foederationes; istae enim non praecipiuntur seu non imponuntur ex regula generali St. Gen., VII, § 2, 2.^o; Instr., XVII); possunt ideo imponi uti exceptio.

Allatus locus Instructionis clarus illustrat hanc possibilitatem: dicit enim quod in casibus particularibus ipsa permanentia Monasteriorum vel disciplina regularis in ipsis servanda vel restauranda possunt necessarias efficere foederationes: tunc si commendatio effectum non obtinet, intervenire potest praeceptum.

Iudicium quod in casibus particularibus rationes ab quas derelictio isolationismi omnibus Monasteriis commendatur tales sunt quae necessarium reddant aliqua Monasteria inter se unire vel Monasterium isolatum alicui Foederationi incorporare, S. Congregationi reservatur. Ipsa porro omnia perpendet quae ad rem faciunt (39). Monasterium quod, non obstantibus praefatis adjunctis, isolationismo adhaeret comprobatur se incapax esse opportunam resolutionem suscipiendi.

Impositiones quae praevidentur uti exceptionales potius quam minuere augent vim commendationis: praeceptum praevidetur impositum quando erit necessarium pro ipso esse Monasteriorum, in casibus particularibus; commendatio autem respicit melius esse omnium Monasteriorum, ad quod melius esse ordinatur ut ad finem ipsa accommodata renovatio vitae religiosae Monialium quod est obiectum materna ac sapientis curae Ecclesiae in documentis de quibus agimus.

(38) Casus translationis quae in Constitutione Apostolica "Sponsa Christi" et in Instructione "Inter praeclara" praevidentur etiam sine Foederatione causam sufficientem translationis Monialium constituerent, sed difficillime de facto translationes sicut, nisi habeatur Foederatio.

(39) Aliquando impositio videri poterit necessaria ad damnum irreparabile seu alter inevitabile impediendum.

Tunc melius intelligitur curnam Romanus Pontifex, cui maxime cordi est profectus vitae monasticae mulierum, praefert potius quam mandata imponere, cuiusvis speciei bona attingenda intellectui et voluntati proponere, timores qui exurgere possent e medio tollere et deinde Moniales paterne, enixe tamen, hortari ad foederationes ineundas, quo praefata bona consequi volebunt.

Ceterum, difficile erat, hac in re, generalem legem, etsi maxima latitudine conceptam, ferre.

6. ALIAE OBIECTIONES

Non raro introductioni foederationum aliae difficultates obiciuntur de quibus verbum non fit in documentis pontificis.

a) Censent nonnulli commoda ex foederatione nec necessaria nec vere utilia esse pro illis Monasteriis, quae devinciuntur relationibus strictae dependentiae cum regimine supremo alicuius religionis virorum vel cum regimine provinciali vel cum aliquo Monasterio particulari, quatenus tunc Monasteria Monialium habentur uti pars Ordinis vel provinciae quasi eodem titulo ac Monasteria virorum, vel uti unum quid constituens cum Monasterio virorum et per ipsum organismo superiori coniuncto ex hac communione coniunctione cum Monasteriis virorum et ipsa Monasteria Monialium inter se coniuncta censenda sunt.

Revera istis in casibus habetur aliqua coniunctio, sed non necessario nec semper haec coniunctio secum fert mutuas communicationes inter singula monasteria, quae practice ad invicem sese habent eodem modo ac Monasteria separata ac independentia solummodo convenientia in professione eiusdem regulae et Constitutionum et quae v. g. ab eodem Ordinario loci dependent, quatenus inveniuntur in eadem dioecesi.

Certe coniunctio strictior est et etiam efficacior quo ampliores sunt facultates Superiorum virorum disponendi et decernendi illas mutuas relationes quae intenduntur per foederationes.

Tunc revera haberetur unio Monasteriorum quae a S. Sede commendatur, sed adhuc quaeri potest an unio hoc modo obtenta respondeat rationi procurandi Unionem a documentis pontificis praevisam et an sufficienti efficacia donetur, de quo postea (40).

(40) Istis in casibus habentur Uniones Monasteriorum quae carent regimine interno, seu exercito a Monialibus, sed habent tantum regimen externum, Monachis tributum.

Nequeunt in dubio poni utilitates et commoda alicuius regiminis seu interventus superioris exerciti ab ipsis Monialibus: v. g. in visitatione Monasterii.

b) Timetur damna ex novitiatu communi, ex amissione Monialium in commodum aliorum Monasteriorum et aliquando timetur obligatio partem faciendi aliis Monasteriis priororum bonorum et fructum proprii laboris.

Cum Moniales, ratione stabilitatis, ex regula, semper commorari debeant in determinato Monasterio necessaria dicitur formatio postulantum, novitiarum et iuvenum religiosarum in proprio Monasterio ad hoc ut eidem praeterquam per vincula iuridica etiam per vincula affectionis devinciantur: praeterea spiritus diversus esse potest diversis in Monasteriis etiam eiusdem Ordinis.

Praemittendum est introductionem foederationis uti saepe dictum fuit, immutatam relinquere conditionem iuridicam actualem singulorum Monasteriorum et ideo non auferre ius habendi proprium novitiatum, dummodo formatio revera perfici possit in proprio Monasterio modo pleno et adaequato; praeter ius etiam exercitium huius iuris non aufertur a foederationibus quae non necessario et universaliter inducunt novitiatum communem pro omnibus vel pro parte aliqua Monasteriorum. Solummodo quando singula Monasteria non valerent providere rectam et adaequatam formatiōnem, v. g. ex defectu Magistrae vel alia de causa, tunc ipsum bonum singulorum Monasteriorum potest requirere ut alio modo provideatur saltem pro aliqua periodo formationis; tunc opportunius remedium potest esse exigere ut postulantes vel novitiae vel religiosae votorum temporaneorum, saltem aliquod tempus transigant in alio Monasterio.

Hoc remedium necessarium fieri potest etiam quando desunt foederates et exigitur a bono singularum religiosarum et ipsorum Monasteriorum: foederates simpliciter facilius reddunt invenire aliud Monasterium quod in tuto ponat necessariam formationem.

Etiam aliae duae difficultates proveniunt ex non recta notione foederationum: Monasteria foederata non sunt aequiparanda singulis domibus alicuius Religionis centralizatae in qua singulae domus existunt aliqualiter primario ratione boni communis totius Religionis vel provinciae cui bono sacrificari debet bonum privatum domorum (41) et etiam ipsa existentia singularum domorum, si hoc necessarium esset; e contra Monasteria foederata primario existunt ad bonum proprium et ratione huius boni proprii interesse coniunguntur; bonum foederationis secundarie tantum prosequuntur. Nihilominus ratione boni aliorum Monasteriorum et etiam ut ius et titulum

(41) Ideo personae carent stabilitate in propria domo et ad nutum Superiorum ab una ad aliam transferuntur. Singulae domus cum Religione et Provincia intime unituntur etiam sub respectu oeconomico, ita ut pars fructuum seu reddituum domorum semper cedere debeat in commodum Religionis vel Provinciae.

in futurum simile auxilium petendi acquirant, Monasteria foederata parata esse debent ad quaedam sacrificia quae non afferunt notabile damnum (42).

Ad precavendas plures difficultates et obiectiones utile erit animadvertere quod documenta pontificia inducunt ad ineundum foederationes, sed non imponunt nec commendant determinatum typum. Foederationes non sunt concipiendae uti figura fixa, semper cum iisdem definitis elementis constitutivis sive quoad vinculum, sive quoad regimen et organismum sive quoad fraternum et necessarium auxilium, etc.; quod dictum est de autonomia etiam hic valet: ordinatio foederativa admittit plus vel minus, scilicet fines extendibiles. Dummodo illud minimum quod necessario supponitur ad habendam efficacem coniunctionem Monasteriorum salvum sit, concreta determinatio et ordinatio foederationum relinquitur ipsis Monasteriis quae unionem inire constituunt: et hoc a pluribus elementis pendere potest prouti postea melius dicetur.

Quis forsan dicere potest, quod exire ad "isolationismo" et inire uniones non est conforme spiritui, usibus, et traditionibus Monasteriorum.

Libenter fateri debet hanc ordinationem esse quid novi, sed addendum est novitatem ab hoc iustificari quod etiam adiuncta locorum et temporum in quibus Monasteria vivunt sunt quid novi et hac de causa remedia nova postulare, ut obtineri possit illa accommodata renovatio qua promovebitur nostris temporibus Institutum monialium.

Certe non raro mentalitas Monialium non facile percipiet utilitatem et commoda foederatum, sed hoc mirum non est: cum attente perpenduntur rationes ob quas obiectiones moveri possunt, facile percipitur has provenire ex adhaesione moribus et traditionibus quae non amplius prosunt et maius bonum impedire valent (43). Fidelitas et constantia, qua in decursu saeculorum Moniales proprio typo et traditionibus adhaeserunt et adhaerent, merito vertendum esse non est ambigendum quando hoc continetur "intra certos iustosque limites", dicit Const. Apostolica (p. 8).

7. DE CONFEDERATIONIBUS

Sive in Constitutione Apostolica (Stat. Gen., art. VII, §§ 3-4) sive in Instructione "Inter praeclera" (n. XIII, 4º) mentio fit de Confoederationibus. Confoederations sunt consociationes Congregationum seu foederationum Monasticarum quae vinculis fraternalis ac iuridicis inter se devincuntur, servata tamen propria autonomia et independentia in propria sphaera.

(42) Omitimus expositionem argumentorum quae ad foederationes ineundas et ad sacrificia cum hoc connexa, si quae habentur, impellere debent, fraternalae charitatis, boni communis totius Ecclesiae et salutis animarum gratia.

(43) Cfr. Constitutionem Apostolicam "Sponsa Christi", A. A. S., a. XLIII (1951), p. 10.

Remissa tractatione illorum quae respiciunt naturam ordinationem et regimen Confoederationum, hic exponitur tantum quaenam voluntas vel mens. S. Sedis relate ad illarum constitutionem desumi possit ex documentis pontificiis.

Constitutio Apostolica solummodo in art. VII, §§ 3, 4, Stat. Gen. de Confoederatione verbum habet: illarum constitutionem et Statutorum approbationem S. Apostolicae reservat, sed explicite illas nec urget nec commendat. Instructio autem S. C. de Religiosis dicit quod "Si necessitas, magna utilitas vel Ordinum traditiones suadeant, admitti possunt Confoederatione Foederationum regionalium" (n. XXIII, 5), quae verba indicant Ecclesiam admittere constitutionem Confoederationum quando peculiares circumstan-tiae locum habent ex quibus appareat consociationem Foederationum esse ne-cessariam, vel valde utilem vel conformem traditionibus Ordinum ad quos Monasteria foederata pertinent.

Haec verba si bene perpenduntur et sub luce principiorum quae in Const. Ap. e in Instructione exponuntur et illustrantur, nequeunt adduci ad comprobandum Ecclesiam esse quasi indifferentem relate ad institutionem confoederationum, vel simpliciter Ecclesiam confoederationem praevidere et ad-mittere si illorum quorum interest, id petant.

Tota mens et voluntas Ecclesiae, prouti expositum est, tendit ad elimi-nandum isolationismum et ad unienda Monasteria ex eo quod et in quan-tum necessitas vel magna utilitas id postulant. Si ergo bona et commoda per uniones et foederationes intenta vel non obtinentur vel insufficienter obtinentur per solas Foederationes, tunc eaedem rationes et commendationes in documentis contentae, quae impellunt Monasteria ad Foederationes, re-vera urgent etiam Foederationes ad constituendas Confoederationes. Sum-mus Pontifex ad comprobandam necessitatem et opportunitatem mitigandi mutuam libertatem seu independentiam Monasteriorum eisdem in parte ge-nerali Const. Apostolicae repetit et applicat illa quae consulto dixerat de Mo-nachis in Homilia habita die 18 septembribus 1947 Benedictinis: in casu vero agebatur non de unione fovenda Monasteriorum O. S. B. in Congregatio-nes, sed proprius de vinculis urgendis etiam inter diversas Congregationes monasticas O. S. B. in ordina ad Confoederationem (44).

(44) A. A. S., XXXIX, 1947, pp. 454-455. "Diuturno iam usu et experientia rerum ipsi suadere vobis potestis, quanta sapientia LEO XIII Pontifex Maximus prospicerit, ut variae Benedictinorum, quos atratos vocant, familiae, quamvis indemnna servanda essent propria instituta et normae, fraternae Foederationis vinculis coalescerent. Quo suscepto consilio, reapse autonomia seu suis legibus vivendi potestas, qua prisco iure coenobia vestra utebantur, ad nova tempora accomodata est, salutarri quidem et provida ratione, cum mutata adjunta rerum et communis utilitas id postularent."

Item, S. Pontifex in eodem loco Const. Ap. (p. 13) et alibi adducit exemplum Monasteriorum virorum; haec vero non solummodo inierunt Foederationes et Congregationes, sed per Congregationes coalescunt etiam in Confoederationem (45) vel in Ordinem (46).

Instructio, in n. XIX, dicit Foederationem ita perficiendam esse ut ratio habeatur illorum quae ex mente Fundatoris et ex historia Monasteriorum desumuntur et ideo, si ex ipsis fontibus constat Monasteria unienda esse ut habeatur unicus Ordo seu Unio immediate vel mediantibus Foederationibus vel Congregationibus, tunc nova ratio additur ob quam haec coadunatio non solummodo admittitur sed suadetur.

Censemus tamen non posse affirmari quod ex regula generali finem ab Ecclesia intentum per uniones Monasteriorum non sufficienter obtinetur per Foederations regionales, sed necessitatem vel utilitatem ipsorum Monasteriorum requirere insuper Confoederationem foederationum. Hoc pendet a pluribus elementis et adjunctis. Certe dantur casus in quibus hoc omnino suadendum et forsan urgendum appareat: quod valet praesertim de Monialibus quae ex Instituto operibus apostolatus addicuntur (47).

III. NOTAE SEU CHARACTERES FOEDERATIONUM

Character pontificius.

“Foederations Monasteriorum ex fonte unde proveniunt atque ex Auctoritate a qua directe dependent et reguntur, sunt iuris pontificii ad normam iuris canonici” (St. Gen., VII, § 6).

Foederations sunt pontificiae *ex fonte* unde proveniunt. Art. VII, § 3, statuit constitutionem cuiuslibet formae foederationis et confoederationis Monasteriorum Monialium Sedi Apostolicae reservari, et n. XXIII, 1^o, Ins-

(45) Exemplum est Confoedatio Congregationum Monasticarum O. S. B., a LEONE XIII, per breve “Summum semper”, diei 12 Iulii a. 1893, constituta (GASPARRI: *Codicis Iuris Canonici Fontes*, vol. III, p. 402) et per Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium, “Inaestimabilis”, d’ei 16 septembri, a. 1893 ordinata. In allato Decreto dicitur: “Inaestimabilis unitatis vinculo, quo ad invicem dissecatae disiunctaeque Societas ad instar foederis sub una eademque alicuius ex sociis praeeminentia absque sui iuris peculiarisque Statuti detimento consociantur, nihil sane antiquius nihilque utilius ad proprium finem ac prosperitatem facilitus sequendam unquam dari exegitarique potest. Hinc sapientissimus Pontifex Dominus Noster Leo divina Providentia Papa XIII, unitatis et pacis amator, ad inclytas ac tantopere bene meritas Benedictinas Congregationes virorum, quos nigros appellant, omnem curam cogitationemque convertit eum in finem, ut inter eas fraterna, quasi icto foedere, consociatio fieret ad universi Ordinis utilitatem et incrementum.” (GASPARRI: *Codicis Iuris Canonici Fontes*, vol. IV, p. 1058).

(46) LEO XIII per Breve diei 17 Martii a. 1893 et per aliud diei 30 Iunii a. 1902 in unicum ordinem univit tres Observantias Monasteriorum Cisterciensium Reformatorum seu de Trappa. (Constitutiones Ordinis Cisterciensium Strictioris Observantiae, Westmalleae, 1925, p. 9.)

(47) Ut postea dicetur; quo maior est activitas in campo apostolatus, eo fortior centralizatio utilis apparet.

tructionis confirmat S. Sedi reservatem esse erectionem Foederationum, adscriptionem Monasteriorum confoederationi erectae et eorumdem separationem.

Ergo negotia haec sunt negotia maiora quae uti talia subtrahuntur competentiae auctoritatum inferiorum R. Pontifici, scilicet Ordinariorum locorum, Ordinariorum religiosorum et ipsis Monasteriis. Ergo non est possibilis aliqua Foederatio quae oriatur sola auctoritate ipsarum Superiorissimum Monasteriorum, vel sola auctoritate Ordinarii vel aliquorum Ordinariorum locorum vel auctoritate Superiorum regularium. Non admittitur Foederatio iuris dioecesani.

Relata praescripta non sunt nisi applicatio can. 494, § 1, in quo expresse S. Sedi reservatur est "monasteria sui iuris a monastica Congregatione separare et alii unire". A fortiori reservatur S. Sedi etiam vi iuris communis erigere Congregationem monasticam. Verba canonis relati et praescripta iuris communis eodem titulo applicari debent Monachis et Monialibus (48).

Ideo non sola constitutio sed etiam quaevis successiva modificatio per additionem vel separationem alicuius Monasterii requirunt interventum auctoritatis pontificiae sine qua nullam vim iuridicam sortiretur quidquid fieri posset.. Idem valet etiam pro suppressione vel cessatione Foederationis (49).

Certe Monasteria partem habent et habere convenit in paranda foederatione et pariter additio alicuius Monasterii aliquem actum supponit ex parte repraesentantium foederationes iam constitutae, qui actus generatim consistit in acceptationem (50), sed, sicuti in casu foundationis novae religionis vel constitutionis alicuius provinciae vel successivae mutationis, requiritur interventus S. Sedis quia formaliter et iuridice hi actus a Sede Apostolica ponuntur et ideo pontifici sunt.

Foederationes, quae uti personae morales considerandae sunt, ex regula de facto excedunt et de iure exceder possunt limites alicuius dioecesis vel provinciae ecclesiasticae, convenienter reservantur S. Sedi.

Quod dicitur de foederationibus pariter, immo a fortiori, valet de Confoederationibus Foederationum (St. Gen., VII, § 3) quarum constitutio et successiva mutatio per additionem vel separationem alicuius Foederationis negotium constituit S. Sedi reservatum.

(48) In casu hoc appareat legitimum, quin necessarium sit recurrere ad canonem 490.

(49) Foederatio nequit concepi ut pactum quod destrul valeat a voluntate illorum qui illud interierunt. Permanentia seu perduratio cuiusvis personae moralis in Ecclesia non pendet a voluntate membrorum.

(50) Nihil mirum esset si S. Sedes Monasterio iam existenti imponeret adhaesionem alicuius Foederationis, hac Foederatione prius audit; vel si S. Sedes statueret quod Monasterium, erigendum in determinato loco, membrum esse debet cuiusdam foederationis.

Art. VII, § 3, St. Gen. reservat S. Sedi constitutionem seu institutionem Foederacionis et Confoederacionis cuiuslibet formae. Ideo Monasteria quae ad uniones ineundas inducuntur, nequeunt peculiares formas constituendi relationes morales et iuridicas considerare, definire et inire quin interveniat S. Sedes, quando istae relationes revera constituunt vi locum tenent foederacionis (51).

Ordinatio foederacionis in abstracto (52) et ipsa concreta erectio et constitutio sunt negotia circa quae S. Apostolica unice competens est.

Pontificiae, ratione iuris quo reguntur.

Foederaciones constitutae auctoritate pontificia, pontificiae sunt etiam ratione iuris quo reguntur (Instr., XXIII, 1º).

Erectio et approbatio alicuius confoederacionis, sicuti erectio et approbatio alicuius Religionis, non secumfert solummodo creationem alicuius novae personae moralis in Ecclesia, sed continet etiam ordinationem per normas et leges huius personae moralis in ordine ad finem attingendum ab eiusdem sodalibus: quapropter Statuta Generalia, art. VII, § 4, et Instructio, n. XXIV, praescribunt quod quaeviis confoederatio debet habere suas leges vel Statuta et horum approbationem S. Sedi reservat (St. Gen., VII, § 4, Instr., XXIII, 1º).

In Statutis S. Sedi subiiciendis, ut per approbationem vim iuris obtineant, non solummodo principia fundamentalia Foederacionis enuntianda sunt, sed etiam normae quoad particularitates, prout fieri solet in Constitutionibus Religionum (53).

Quoad ius commune.

Cum sint constitutae et approbatae a S. Sede, Foederaciones sunt aequiparandae religionibus iuris pontificii (54), et ideo ipsae quoad ius com-

(51) Auxilium fraternalum quoad personas, quoad directionem, quoad communicationem personarum, etc. inter Monasteria nequit concepi sine facultatibus a S. Sede concedendis.

(52) Diversae figurae iuridicae seu typi foederacionum pro diversis casibus deinde in proxim applicandi, possunt etiam a privatis concipi, sed tunc nullam habebunt vim iuridicam. Poterunt inservire uti doctrina vel uti aliquid Auctoris consilium.

(53) Aliquando pro constituta Foederatione approbari possunt Statuta quae continent tantummodo normas fundamentales, ad instar "Instituti", quod approbatum fuit in documento Pontificio erectionis quarumdam Religionum v. g. Societatis Iesu.

Ita factum est pro Confoederatione et Foederacionibus Monasteriorum Ordinis Visitationis, constitutis per Decretum S. Congregationis de Religiosis, die 15 Augusti a. 1951 (nn. 7025/51). Eadem die approbata fuerunt quaedam summaria Statuta undecim articulos complectentia.

(54) In documentis pontificis, quae a nobis illustrantur, non praevideatur approbatio inchoativa quae habetur pro Religionibus per Decretum laudis (can. 488, 3). Difficilius huiusmodi approbatio inchoativa concipi posset pro Foederacionibus quae existere incipiunt per erectionem a S. Sede factam; Religiones, e contra, iam existentia iuridica donatae supponuntur per erectionem factam ab Ordinario loci (can. 492, § 1), quando ad S. Sedem accedunt pro pontifica approbatione habenda.

mune reguntur a canonibus et a legibus generalibus vigentibus pro aliis religionibus iuris pontificii. Consequenter Foederationes uti tales, scilicet: quoad regimen, quoad personas quoad activitatem, quoad bona, etc., quae propria sunt foederationis, non Episcopis vel Ordinariis locorum nec Ordinariis religiosis, sed S. Sedi directe subiiciuntur eadem ratione ac mensura quae in allatis casibus valet pro Religionibus mulierum iuris pontificii. Monasteria autem singula uti talia dependentiam servant ab Ordinariis in iis omnibus quae a Codice Ordinariis tribuuntur (Instr., n. XXIII, 1^o; St. Gen., VI, § 2).

Quoad plura difficile non erit statuere quaenam afficiant singula Monasteria uti talia et quaenam Foederationes: v. g. electio Monialis quae praeest Foederationi et electio Superiorissae Monasterii (can. 506, § 2); quoad alia vero difficilius erit (55): practice tamen quod dependentiam ab Ordinariis sive loci sive religiosis attinet, res non praebet notabiles difficultates, cum horum Ordinariorum interventus sat clare determinetur in Codice nec praetergredi valeat casus et facultates in diversis canonibus praevisas.

Neque pro Monasteriis et pro religionibus iuris dioecesani auctoritas Ordinariorum potest concipi ut suprema facultas interveniendi et disponendi quoad universam vitam religiosam, quasi ad instar alicuius superioris supremi de quo in can. 502.

Ordinarius loci non est superior relate ad Monasteria Monialium et illis tantum facultatibus fruitur circa Monasteria quas eidem Codex expresse concedit (56).

Ergo practice Ordinarius loci et alii Ordinarii facere pergent circa Monasteria foederata quod ante foederationem legitime facere poterant.

In Instructione, n. XXIII, 1^o, enuntiatur possilitas quasdam exceptiones statuendi circa praedictam dependentiam vel independentiam relata ad Ordinarios. Idem dicitur in n. XXI eiusdem Instructionis.

Apprime consentaneum est quod Foederationes, quae praetergrediuntur fines dioecesis vel provinciae ecclesiasticae in earum vita, regimine et actione, non subiiciantur Auctoritatibus quarum competentia strictioribus limitibus territorialibus coarcta est; nec conveniens esset foederationes subiicere omnibus Ordinariis in quorum territoriis inveniuntur Monasteria ad instar religionis iuris dioecesani (57).

(55) De hoc iterum agemus cum sermo erit de competentia Confoederationis.

(56) **Admissio in Religionem Superioribus spectat, non vero Ordinario loci (can. 572, § 1,2).**

(57) Foederationes supponuntur constare ex Monasteriis in pluribus dioecesisibus extensibus; ius interveniendi ex parte plurium Ordinariorum locorum difficile redderet regimen earundem.

Quoad ius particulare.

Ius particulare seu proprium Foederationum, scilicet Constitutiones et Statuta a S. Sede approbata, pontificia censenda sunt et ideo ad instar legum pontificiarum consideranda, sicuti valet de Constitutionibus Religionum a S. Sede approbatis et hoc quoad dispensationem, interpretationem, innovationem, cessationem et additionem.

Ex auctoritate qua reguntur.

Character pontificius Foederationis ratione auctoritatis qua reguntur manifestatur peculiari forma: dum pro aliis institutis pontificiis S. Sedes suam auctoritatem exercet immediate per sua organa, iuxta normas iuris communis et particularis, exigendo relationem de statu Religionis (can. 510; Decr. "Viginti abhinc"), interveniendo pro relaxationibus a quibusdam legibus iuris canonici, vel praescriptis Constitutionum ab ipsa approbatarum, admittendo et videndo recursus qui ad ipsam diriguntur, exercendo vigilantiam genericam et quibusdam in casibus extraordinariis et exceptionibus aliquem particularē repraesentantem constituendo cum facultate actualiter exercendi plura vel minora iura quae S. Sedi competunt, pro Foederationibus praevideatur, uti habitualis et ordinaria, deputatio alicuius personae i. e. "Adsistens religiosi", qui S. Sedem repraesentat cum peculiaribus iuribus, ipsi collatis, iuxta casus (St. Gen., VII, § 7; Instr., n. XXIII, 1.^o).

Adsistens religiosus non praevideatur uti necessarius pro omnibus Foederationibus, sed uti possibilis, iuxta iudicium ipsius Sedis Apostolicae. Dicit art. VII, § 7: "S. Sedes immediatam vigilantiam et auctoritatem prout casus ferat, in Foederationem exercere poterit per aliquem Adsistenteum religiosum, cuius munus erit non tantum S. Sedem repraesentare sed etiam conservationem genuini spiritus propriei Ordinis fovere et Superiorissas in recto ac prudenti Foederationis regimine opera et consilio adiuvare." Possibilitas vero Adsistens religiosi non prospicitur uti quid extraordinarium seu exceptionale et provisorium quod rationem inveniat in peculiaribus et sat gravibus adjunctis in quibus invenitur Religio, sed ut quid habituale et ordinarium ratione peculiarium notarum Foederationum prout necessitas vel utilitas id suadent (Instr., XXV, 1.^o). Tunc illius existentia et praevidentur et ordinantur in Statutis pontificali auctoritate muniendis.

Adsistens, quando habetur, nominatur a S. Sede (Instr., XXV, 2.^o): nec posset aliter esse, cum debeat ipsam S. Sedem repraesentare; ipsa vero,

ut facilius et efficacius sit exercitium muneris collati, audiet illos quorum interest (58), ad normam Statutorum.

S. Sedes nominat Adsistentem ad exercendam per ipsum immediatam vigilantiam et auctoritatem in Foederationes (St. Gen., VII, 7; Instr., XXV, 1.º): unde Adsistens semper repreäsentat S. Sedem, non Ordinem religiosum a quo desumitur, vel illum cum quo Monasteria Foederationis connexionem habent. Unde Adsistens, uti repreäsentans S. Sedis, negotia et actus sui muneris gerit cum Ordinariis locorum, cum Ordinariis religiosis, cum Foederationibus, cum singulis Monasteriis et suarum actionum soli S. Sedi rationem reddere tenetur.

Hic character Adsistentis auctoritatem et efficaciam confert actibus et decisionibus ab ipso prolatis et specialem signum benevolentiae et maternae curae denotat ex parte Ecclesia relate ad Foederationes Monialium.

Munus Adsistentis est exercere vigilantiam et auctoritatem nomine S. Sedis: modus tamen vigilantiae et præsertim mensura auctoritatis definiuntur in documento nominationis (Instr., XXV, 3.º) vel in ipsis Statutis (Instr., XX, 4.º); semper vero eidem committitur ut sua opera et consilio Superiorissas adiuvet in regimine, et conservationem genuini spiritus proprii Ordinis foveat (St. Gen., VII, § 7), consulendo solidae novitiarum ac ipsarum religiosarum institutioni et aliis negotiis quae necessaria sunt pro conservatione et incremento praedicti spiritus (Instr., XXV, 3.º).

Plura etiam alia eidem agnosci possunt in Statutis quorum praecipua enuntiantur in citato n. XXV, 3.º, Instructionis.

Praeterea in Statutis eidem agnosci potest modo habituali munus Adsessoris (Instr., XXV, 4.º) et alias potestates non prævisas in Const. Apostolica et in Instructione, eidem S. Sedes committere vel delegare poterit modo habituali vel ad casum (Instr., XXIII, 1.º; XV, 5.º).

IV. DE FOEDERATIONUM ORDINATIONE

I. CRITERIUM SEU PRINCIPIUM GENERALE PRO CONSTITUTIONE ET ORDINATIONE FOEDERATIONUM EX FINE DESUMPTUM

In Foederationibus inducendis et ordinandis præ oculis omnino haberi debet finis ad quem haec accommodatio ordinatur: finis vero, qui sub respectu generali a S. Pontifice Monasteriis foederandis proponitur, in concreto statuendus et definiendus est pro diversis Monasteriis de facto

(58) Interesse habent Foederatio cui Adsistens datur, Religio a qua ipse desumitur, etc.

uniendis, ratione habita peculiaris indolis et generis vitae Ordinis cuius Regulam et Constitutiones Monasteria profitentur; conditionum in quibus de facto Monasteria versantur vel facile versari possunt, sub respectu spirituali, disciplinari, apostolico et oeconomico, et malorum, si quae habentur, quibus per Unionem provideri intenditur, et praesertim bonorum quae per foederationes praedictis monasteriis afferri et in tuto poni debent.

Bona, quae Summum Pontificem impulerunt ad hanc accommodacionem urgendam et ordinandam, sunt ordinis spiritualis, disciplinaris, apostolici et oeconomici: bona praefata, cum agitur de individua et singulari foederatione, consideranda sunt in ordine ad haec monasteria ita ut appearat quaenam bona de facto promovenda sint per unionem horum Monasteriorum et quomodo assecutio horum bonorum in tuto poni valeat et debeat; scilicet per prudentem delectum seu determinationem Monasteriorum quae coadunari volunt ad finem praestitutum; per opportunam claram definitionem vinculum quibus Monasteria ad invicem ligari oportet; per sapientem et practicam ordinationem regiminis et officiorum quibus spectat actionem singulorum promovere ac dirigere pro bono communi totius foederationis eiusque membrorum; et praesertim per rectam et practicam indicationem mediorum quibus collaboratio Monasteriorum efficaciter haberi potest incommodis, si quae in aliquo Monasterio existant, remedium afferetur et in omnibus Monasteriis incrementum vitae contemplativae monasticae fovetur.

Omnia Monialium monasteria convenient in ratione generica vitae monasticae contemplativae et in elementis essentialibus vel characteristicis huius vitae in oppositione ad alias figuras vel species vitae religiosae seu perfectionis evangelicae, ita etiam eorumdem foederationes quoad pleraque convenient communesque notas referent; cum tamen Monialium Ordines inter se quoad plura differant, prouti sapienter exponit Romanus Pontifex in prima parte Constitutionis Apostolicae, in qua Monialium originem, fasta, varietates et divisiones illustrat (Const. Ap., pp. 6-9), et ipsae foederationes quoad plura differe debent: nequit porro concipi typus fixus et definitus foederationis omnibus Monasteriis applicandus.

Insuper ipsa singula Monasteria peculiares habere possunt traditiones, vincula cum aliis, exigentias, etc. quae omnia negligi nequeunt cum agitur de concreta foederatione inducenda et ordinanda (59).

(59) Taret iundamento timor illorum qui formidant per foederationem in periculo ponit figura seu character proprius singulorum Ordinum vel singulorum Monasteriorum.

Haec quae dicimus confirmationem inveniunt in mira varietate qua distinguuntur Ordines et Confoederationes Monasteriorum virorum (60). Huiusmodi uniones Monachorum, praeterquam uti exemplum bonorum quae produxerunt (Const. Ap., p. 13), utiliter prae oculis haberi valent uti exemplum pro ratione concreta ordinandi foederations Monasteriorum Monialium.

2. CRITERIA SEU PRINCIPIA PRO ELIGENDIS MEMBRIS SINT EIUSDEM ORDINIS SEU RELIGIONIS

Evidenter Monasteria coadunanda in Foederations debent esse eiusdem Ordinis. Hoc in pontificiis documentis omnino supponitur per illa omnia quae de Foederationibus afferuntur, et expresse dicitur in n. XXIII, 3., Instructionis ubi legitur: "Foederations ex Monasteriis eiusdem Ordinis... componuntur".

Ordo hic collective consideratur, scilicet complexus omnium Monasteriorum quae saltem eandem Regulam profitentur, etsi in quibusdam secundariis elementis diversitates habere possint.

In allato numero Instructionis adduntur verba: "eiusdemque internae observantiae": quibus pressius criterium datur pro cognoscendo quaenam Monasteria valeant in eadem Foederatione convenire.

In eodem Ordine vel in Monasteriis eandem regulam profitentibus possunt haberi diversitates magni momenti, peculiarem ac proprium characterem conferentes vitae monasticae quae ibi ducitur. Cum diversitates et peculiaritates in Constitutionibus codificantur, tunc Monasteria easdem constitutiones habentes constituant proprium complexum qui considerari potest ad instar religionis vel Ordinis singularis et qui nomine observantiae designatur.

Non semper facile erit in concreto determinare an Monasteria pertinent ad eandem observantiam, cum nequeat apprime definiri quaenam sint elementa distinctiva et necessaria alicuius observantiae: aliquando difficile esse poterit etiam determinare an Monasteria ad eundem Ordinem pertineant. In concreto ad criteria negativa et positiva recurri debet.

Monasteria quae non profitentur eandem Regulam (61) sed diversam v. g. unum profitetur Regulam S. Augustini, aliud S. Benedicti, aliud

(60) Congregationes monasticae O. S. B. miram varietatem ordinationis praebent et nihilominus quodvis Monasterium propriam servat autonomiam et ipsae Congregationes autonomae remanent etiam cum in Confoederationem adunantur.

(61) Post praescriptionem Concilii Lateranensi, a. 1215 celebrati, de qua supra in nota 29, dubium agitatum fuit an Monasteria diversorum Ordinum ad unum idemque Capitulum communie convenire deberent, vel potius Monasteria cuiusque Ordinis deberent celebrare proprium Capitulum. Consuetudo vero fuit in favorem secundae sententia et in hoc sensu postea Summi

S. Clarae non pertinent ad eundem Ordinem et nequeunt foederari. Monasteria autem quae eandem Regulam sequuntur, si habeant substantialitates vel notabiliter diversas Constitutiones (62) vel Declarationes (63), praesertim quoad illa elementa quae institutum alicuius religionis constituant, scilicet finem specificum, spiritum peculiarem, media characteristicam regimen speciali ratione ordinatum etc., nequeunt considerari ut eiusdem observantiae vel religionis, et pariter nequeunt simul foederari.

Quando vero eandem regulam sequuntur et de facto idem institutum profitentur seu eosdem Constitutiones habent, quae iuridicae diversae sunt quatenus differunt uti Codex iuris particularis, approbatae enim fuerunt pro complexu Monasteriorum et non pro aliis, materialiter vero quoad substantiam et res notabiles non differunt, tunc haec Monasteria considerare valent et de facto, attentis circumstantiis, considerare convenit ut eiusdem religionis et observantiae (64).

Frequenter etiam vicissitudines historicae consideranda sunt pro dignoscenda habitudo ad invicem quorundam Monasteriorum sive in decursu historiae sive in praesenti momento. Origo Monasteriorum ab eodem Fundatore, derivatio ab eadem fonte possunt particularem characterem et rationem vivendi vitam monasticam secumferre quae notabiliter differt a Monasteriis eiusdem Regulae et forsitan etiam earumdem Constitutionum et quaequamdam moralem saltem unionem efficiunt inter illa Monasteria. Origo ab eodem Fundatore, vel ab eodem Monasterio, aliquando secumferunt proprium et distinctum institutum seu rationem concipiendi vitam religiosam monasticam quae substantialiter et integraliter eodem modo servatur in omnibus Monasteriis.

Aliquando communi origini, sive ex mente fundatoris sive ex necessariis vicissitudinibus historicis, additur etiam aliqualis delineatio unitatis et foederationis inter praefata monasteria.

Pontificis Decretum intellexerunt et applicatum voluerunt. (P. MARINUS A NEUKIRCHEN, O. F. M.
Cap.: *De Capitulo Generali in Primo Ordine Seraphico*, Romae, 1952, pp. 14-15.)

Omnino erroneum esset concipere Foederationes Monialium uti uniones Monasteriorum earundem diversorum Ordinum in aliquo territorio existentium.

(62) Ita pro Monialibus Clarissim extant *Constitutiones Generales*, definitivae approbatae per Decretum S. Congregationis de Religiosis diei 3 Aprilis 1940, Constitutiones pro Clarissim reformationis Sanctae Coletae, approbatae ab eadem S. Congregatione per Decretum diei 19 Novembris 1931.

(63) Hoc valet pro Monialibus Ordinis S. Benedicti.

(64) Ut exemplum adduci possint Monasteria Monialium Terti Ordinis S. Francisci in Helvetia existentium.

Religiosis horum Monasteriorum nequit negari character Monialium ex eo quod profiteantur Regulam Terti Ordinis et uti Tertiariae agnitione sint. Historia docet quomodo post Constitutionem Apostolicam S. Pii V "Circa pastoralis", diei 29 Maii a. 1566 (GASPARRI: *Fuentes Codicis Iuris Canonici*, vol. I, pp. 201 ss.). Communitates Tertiatarum vota solemnia suscepserint et ita verae Moniales effectae sint. De illis multibus seu Tertiariis edixerat Summus Pontifex: "si votum solemne non emiserint, Ordinarili una cum superioribus earum hortentur, et persuadere studeant, ut illud emitant et profiteantur..."

Tunc haec Monasteria inter se et non cum aliis unienda sunt: prouti dicitur in n. XVIII Instructionis. Non raro fundatores volebant Monasteria inter se devincere ad constituendum unum quid iuridicum, sed impediti sunt a iure tunc vigente.

Non est mirum quod adsit inter Monasteria Monialium tam multiplex varietas: autonomia et independentia seu solitudo vel isolatio ex una parte, et interventus diversorum Superiorum ex alia parte una cum sat frequenti amissione contactus cum Ordine virorum qui spiritum fideliter et uniformiter in Monasterio eiusdem observantiae ex instituto curare deberent, explicant curnam etiam in Monasteriis eorundem Regulae et Constitutionum atque observantiae frequenter peculiaritates plus vel minus notabiles inveniantur.

Ex hac tamen differentia quoad accidentalia illegitimum esset concludere ad impossibilitatem vel inopportunitatem praefata Monasteria ad Confoederationem adducendi.

3. CRITERIUM REGIONIS

Supposita eadem Regula, eisdem Constitutionibus et eadem observantia, iuridice sumpta, Instr., in n. XXIII, 2.^o, uti criterium positivum addit foederationes potius per regiones constituendas esse, "nisi exiguis Monasteriorum numerus, vel aliae iustae proportionataeque causae aliud exigant" et dat rationem; nempe, Uniones, non nimis extensae quoad ambitum et distantias, facilioris sunt regiminis.

Ratio quae hic exprimitur valet non solummodo quoad criterium regionis seu locorum in quibus invenire debent Monasteria unienda, sed etiam pree oculis omnino haberi debet pro omnibus aliis elementis ad quae attendere oportet pro seligendis Monasteriis futurae foederationis.

Uti iam dictum est in ordinandis et constituendis foederationibus ita procedi debet ut meliori quo fieri possit modo evitentur incommoda et procurentur bona intenta: hunc in finem provederi debet possibili, sufficienti et efficaci regimini.

Ad hoc ex una parte requiritur ut habeatur sufficiens numerus Monasteriorum qui in tuto ponant fraternam collaborationem et mutuum auxilium, et, ex alia parte, ex regula non sunt simul adunanda Monasteria in dissitis regionibus existentia neglectis illis quae, ratione professionis eiusdem instituti ut sufficientis internae similitudinis congrue possent sibi invicem afferre bona intenta: ipsa propinquitas localis conferre valet ad evitanda longa itinera, et facilius reddit noticias habere de diversis Monasteriis atque vigilantias circa ipsa exercere.

Criterium regionale ita intelligendum est ut Monasteria adunanda determinentur ex propinquitate locali, ita ut, ex regula, in eadem regione unica habeatur foederatio Monasteriorum eiusdem Ordinis et observantiae; regio vero ita extendi debet quousque includatur numerus sufficiens Monasteriorum: non debet autem extendi modo quo haberentur simul coadunata nimis Monasteria. Non necessario regio supponitur contineri in eadem natione; iuxta numerum Monasteriorum in eadem natione poterunt haberi piures foederationes, vel eadem foederatio posset includere diversas nationes. In Instructione, n. XXIII, 2.^o, sat clare dicitud quod Foederationes possunt plures nationes amplecti quando numerus Monasteriorum nimis exiguis est: hoc potest accidere ex eo quod in aliquibus nationibus non habeantur sufficientia Monasteria ad constituendam aliquam Foederacionem.

Criterium regionale non urget nec forsitan opportunum est illud sequi quando habentur iustae et proportionatae causae aliud exigentes. Huiusmodi causae sunt illae quae faciliorem et efficacitatem reddunt aliquam Foederacionem si membra diverso criterio definiuntur.

Istud criterium posset esse: communis origo (65), praecedentia vincula vel unio moralis, eadem activitas, genus vitae quod de facto geritur v. g. vita pure contemplativa, vel vita contemplativa cui adnexa sunt moderata exercitia apostolatus (66) cum consequenti diversa clausura, concretus modulus observandi eandem Regulam et easdem Constitutiones, diversus character et methodus in exercitio operum, etc. (67).

Concreta determinatio Monasteriorum inter quae realis et efficax Confoederatio constituere convenit est negotium maximaे prudentiae: plura enim obiective perpendenda sunt quoad praeteritum, quoad presens, et quoad futurum ad hoc ut Confoederatio constituenda excludat incommoda et procuret bonum quod in casi obtineri potest.

Conclaudi potest quod in coadunandis Monasteriis ad hoc omnino attendi debet: ex una parte in tuto ponatur omogeneitas Monasteriorum ita ut collaboratio sub diversis formis facilior evadat et ex alia parte tot Monasteria uniantur ut foederatio evadat quid concretum et efficax.

(65) Facilius est unire Monasteria quae ex communi aliquo Monasterio originem trahunt et de lacto frequenter inter ipsa lama quadam moralis unitas viget

(66) Ex regula non convenit unire in eadem Foederacionem Monasteria vitae contemplative et Monasteria in quibus ita apostolatus exercetur ut necessarium sit applicare Clausuram papalem minorem.

(67) Diversissimae causae adduci possunt, quas negligere non convenit, cum obiectiva et vere rationabiles apparent.

Criteria exposita pro maiore parte non sunt sumenda separatim, sed coniunctim ita ut in casibus concretis, omnibus perpensis, appareat quod convenientius sit.

4. CONCRETA INTRODUCTIO FOEDERATIONUM

Nihil expresse invenitur in documentis pontificiis quae commentanda suscepimus de modo concreto instaurandi Foederationes, scilicet de personis a quibus motus seu initiativa venire debeat vel possit et de parte quae Monasteriis ipsis, scilicet Superioriss et Monialibus tribui conveniat vel oporteat sive quoad introductionem sive quoad ordinationem Foederatum.

S. Congregatio de Religiosis cui reservantur illa omnia quae attinent constitutionem et ordinationem Foederationum, in Epistula diei 7 martii 1951, qua Ordinariis locorum per Nuntios Apostolicos et Superioribus Generalibus Ordinum virorum mandatum dabat communicandi et explicandi Monialibus documenta pontificia, urgebat necessitatem accurate praeparandi et sapienter ordinandi Foederationes ut ipsae uberes fructus referre valerent: promittebat vero se operam et instructiones collaturam esse iuxta diversos casus. Per eandem epistulam S. C. exquirebat ab iis qui Documenta Monialibus illustraverint relationem circa mentem et spiritum Monialium quoad predicta documenta, circa bona quae a Monialibus derivatura sperantur et circa difficultates quae occurrere possunt in practica applicatione renovationis a S. Sede intentae.

Hucusque nulla publica et generalis instructio data est a S. Sede. Constat vero ipsam admittere quod motus seu initiativa veniat a quibusvis personis quae interesse habent, ideo ab ipsis Monasteriis ab uno vel a pluribus simul, ab Ordine virorum cuius Regulam Moniales profitentur vel cum quo peculiarem affinitatem habent, ab Ordinariis locorum alicuius loci vel regionis, a Nuntiis vel Delegatis Apostolicis, a personis quae nomine S. Sedis quandam vigilantiam exercent supra Monasteria uti Visitatoribus vel Adsistentibus.

Faciliter postquam S. Sedi pervenerint relationes circa factam communicationem documentorum, de quibus in citata epistula diei 7 martii 1951, ipsa initiativa oriri poterit ab ipsa S. Sede.

5. RATIO AGENDI S. SEDIS POST MOTUM INCEPTUM

Cum S. Sedes opportunum tempus advenisse censem pro concreta instauratione alicuius Foederationis, sive ad preces illorum qui motum suscep-

perunt, vel ad preces Monasteriorum, sive motu proprio, aliquem deputabit qui suo nomine Monasteriis coadunandis adsistet, vel praesit laboribus qui pro hoc fine suscipiuntur, et alia praestet quae opportuna videantur, ad instar muneris quod competit Adsistenti religioso pro foederatione iam constituta.

Ut munus sibi callatum exsequi valeat eidem S. Congregatio peculiares facultates confert quae variae erunt iuxta casus, sed quae in genere hoc continent: permittere Superiorissimis Monasteriorum ut simul conveniant, vel alia Monasteria visitent, ipsa negotia Foederationem spectantia tractent, permittere ut iam aliquali collaboratione initium detur, sive pro formatione religiosarum sive pro gerendis officiis in aliis Monasteriis.

Ex facultatibus datis appareat mentem S. Sedis esse ut ipsa Monasteria partem habeant in praeparanda Foederatione sive quoad constitutionem sive quoad eiusdem ordinationem. Etiam supposita morali obligatione conveniendi in Foederationem, omnino opportunum est ut ipsa Monasteria agant inter se de accommodata renovatione peragenda, de vinculis ineundis, de formis collaborationis inducendis etc. et hoc sub ductu delegati a S. Sede. Plura vero liberae discussioni, acceptationi vel recusationi subiici possunt et subiicere convenient et hoc bene fit ab illis qui debent elementis electis propriam vitam conformare. Traditionalis materna praxis Ecclesiae refugit ab impositionibus violentis quando hoc nullo modo necessarium est.

In stadio praeparationis et elaborationis Foederationum aliquando facultates dantur quae iam permittunt experimentum sumere de quibusdam formis collaborationis et certis commodis frui quae in Foederatione habentur: ita facultas mittendi quasdam Moniales in alia Monasteria ut artem addiscant vel perfectiorem formationem in soxtrina vel in laboribus recipiant, facultas alibi mittendi proprias novitias, facultas sumendi ex aliis Monasteriis pro muneribus gubernii et directionis etc.

6. OBSTACULA VEL INCOMMODA VITANDA IN PHASE ELABORATIONIS

Etsi motus foederationis incipiat a nonnullis paucis Monasteriis, iam statim ab exordiis elaborationis maxima cura adhibenda est ut omnia Monasteria invitentur quae, iuxta criteria supra descripta, praevideatur membra fieri posse determinatae foederationis: communis conspiratio omnium Monasteriorum multum conferet ad evitanda iam ab initio quaevis divisio et forsan antagonismus inter Monasteria adhaerentia et Monasteria Foederationi non adhaerentia: qui antagonismus et absentia aliquorum Monasteriorum in diversis stadiis praeparationis Foederationis difficiliorem

reddet in futurum adscriptionem Foederationi iam constitutae et ordinatae, vel ansam dabit constitutioni in eodem loco alius foederationis nec utilis nec opportunae.

Etiam in ipsis singulis Monasteriis inutiles discussiones vitandae sunt quae possent divisionem inducere inter sodales eiusdem familiae: utiliter in Capitulo Monasterii agetur de foederatione instauranda, sed potius quam de facto, voluntas enim vel saltem desiderium vehemens S. Sedis dubium quodlibet auferunt de opportunitate Foederationis quaestiones moveri possunt de indole et forma futurae foederationis iuxta characterem singulorum Monasteriorum.

Ad incommoda eliminanda et ad maximam obtinendam unionem animorum et voluntatum, sive in sinu singulorum Monasteriorum sive inter diversa monasteria, plurimum conferent prudens et opportuna actio representantis S. Sedis et puritas intentionum, sive ex parte Monasteriorum sive ex parte omnium illorum qui cum Monasteriis aliquam connexionem dicunt: attentis illis quae fuse in documentis pontificiis exponuntur non videtur difficile statuere quid magis conveniat vero et duraturo bono et incremento singulorum Monasteriorum.

7. CRITERIA SEU PRINCIPIA PRO FOEDERATIONIBUS ORDINANDIS

Quaelibet Foederatio habeat suas leges quibus ordinari ac regi necessario oportet et quae a S. Sede per approbationem vim accipere debent (St. Gen., VII, § 4). Leges seu Statuta vel Constitutiones definire et ordinare debent ipsa constitutionem, seu naturam, vincula, membra, finem Foederationis, regimen eiusdem seu organa et respectivas facultates et obbligationes et tandem collaborationem seu formas et casus mutui auxilii inter Monasteria (St. Gen., VII, § 5; § 8, 2.^o, 3.^o; Instr. XXII, XXIV).

Prae oculis habitis finibus ad quos assequendos Foederatio tam vehe- menter a S. Sede commendantur ratio eas ordinandi necessario talis esse oportet ut respondeat praedictis finibus: finis enim specificat societatem, media, iura obligationesque secumfert quae in tuto ponant eius assecu- tionem.

Documenta pontificia, attenta in diversis Monasteriis diversa ratione vivendi vitam religiosam monasticam, et praे oculis habitis diversis adjunctis in quibus iuxta regiones Monasteria inveniuntur, non imponunt nec proponunt unicum typum Foederationis Monasteriorum sed: a) exhibent quaedam elementa fundamentalia uti cardines foederationum, quae uti quid minimum ab omnibus accipi debent; b) alia elementa suggestur uti melius determinanda ac definienda in Statutis propriis; c) pro casibus

particularibus expresse quaedam alia uti possibilia praevident, et d) impli-
cite plura alia admittunt quae poterunt assumi et definiri ab illis quibus
constitutio et ordinatio Foederationis pertinent.

Principia generalia.

I. Foederations pro omnibus concipiuntur uti personae morales colle-
giales: hoc explicite dicitur in n. XXIII, 3.^o, Instructionis: "Ex parte perso-
narum moralium, quibus, qua personae collegiales (can. 100, § 2), consti-
tuunt..." et implicite supponitur ab illis quae dicuntur circa earum erec-
tionem (Const. Ap., p. 13), constitutionem (Stat. Gen., VII, § 3) et
ordinationem (St. Gen., VII, § 4; Instr., XXIII, 1.^o).

Ergo Foederatio nequit concipi uti simplex unio moralis vel spiritualis
inter diversa Monasteria cum consequentiis oeconomicis vel alias generis,
neque uti pactum iuridicum initum inter Monasteria, accidente approbatio-
ne pontificia, vi cuius onera et obligationes suscipiuntur a Monasteriis in
pacti celebratione partem habentibus quarum obligationum obiectum sit
collaboratio in Constitutione Apostolica et in Instructione praevisa. Sed
concipi et ordinari debet uti novum ens iuridicum, scilicet nova persona
moralis quae, cum constet ex Monasteriis quae sunt persona moralis colle-
gialis, et ipsa collegialis erit.

Experientia docet quod coadunatio Monasteriorum quae ab aliquibus
internis seu intrinsecis vinculis non sit firmata ita ut aliquod ens unitate
donatum exurgat, carebit necessaria cohaesione, actionis unitate et stabi-
litate quae ad fines intentos necessariae sunt.

Ipsa natura et historia comprobant personam singularem, sive physi-
cam sive moralen, quae sola incapax est determinatum finem, aliis etiam
communem, assequendum cum aliis uniri ut unica actione ex pluribus con-
flata, finis ab omnibus partem in unione habentibus, attingatur.

Revera Monasteria iam aliqua unitate donantur ex eo quod in eadem
societate perfecta, i. e. Ecclesia, existunt et ab Ecclesia constituuntur or-
dinantur ac reguntur, sed actio Ecclesiae eo perfectius et uberior exercebi-
tur, quo firmius Monasteria inter se connectuntur et veluti ab intrinseco
donantur mediis necessariis quae in singulis vel deficiunt vel imperfecte
habentur.

Persona moralis collegialis quae oritur non est novus Ordo singillatim
sumptus et practice potest considerari uti Religio constans ex diversis Mo-
nasteriis autonomis et specifice non distincta ab ipsa religione quae propria
est uniuscuiusque Monasterii.

Quod locum habet pro Congregationibus monasticis et Ordinibus monasticis virorum, eodem iure fieri potest pro Monasteriis Monialium: utilitas huius conditionis iuridicae patet ex commodis quae ipsa secum fert, v. g. quoad relationes oeconomicas: in casu cessationis alicuius Monasterii, vi can. 1.501, bona transeunt ad Foederationem, in casu alienationis vel mutui inter Monasteria non est necessarium recurrere ad S. Sedem, etc., item quoad conditiones personarum in casu transitus (cc. 632, 633), etc.

Quoad regimen.

Consequenter Foederatio ordinari debet ad instar alicuius religionis et ideo in primis illam habere oportet proprium regimen. Quaevis persona moralis collegialis ex sua natura supponit aliquam auctoritatem quae actiones singulorum coordinet atque in finem communem dirigat.

In casu Foederationis et Religionis, e Monasteriis sui iuris compositae, potiore ratione quam in aliis Religionibus, summa potestas tribuitur Capitulo vel Congregationi generali quae ex repraesentantibus omnium Monasteriorum constat: et hoc bene respondet peculiari naturae horum entium in quibus membra seu Monasteria praecedunt Foederationi in ordine temporis et ordine naturae.

In Foederatione Monasteriorum regimen ad normam n. XXIV, 2., Instructionis debet esse etiam personale ex officiis et ex personis singulis constans, quae continuo praeponuntur Foederationi cum munere ipsam eiusque membra regendi in ordine ad fines proprio assequendos.

Historia discimur celebrationem Capituli generalis atque dispositiones et statuta ab ipso decreta non constituere sufficienter efficax regimen nisi auctoritas habeatur permanens cuius sit praefatas dispositiones exsecutioni mandare, circa eorundem observantiam vigilare atque in casibus et difficultibus definitis decisiones ferre.

Personae supponuntur quibus regimen stabile foederationis committitur, esse Moniales. In allato numero Instructionis "Inter Praeclaras" mentio fit de Praeside, de Visitatricibus, de Consilio, etc.

Ideo regimen debet esse internum, scilicet: compositum et exercitum a repraesentantibus seu personis e membris Foederationis desumptis; non excluditur vero interventus aliarum personarum, praeter Adsistenteum religiosum. In n. XXI Instructionis praevideatur possibilitas conferendi Superioribus Religionum virorum iura in ipsam Foederationem. Hoc locum habere poterit: a) quando Monasteria peculiarem habitudinem dicunt ad Ordinem virorum ita ut singula Monasteria plus dependeant ab Ordine viorum, nempe a Capitulo generali, a Superiore supremo vel a Provincialibus

vel a singulis Monasteriis quam secum fert ordinaria et communis dependentia a Regularibus.

b) quando omnia Monasteria, membra Confoederationis, uti singula dependet ab Ordine; dicit Instructio, n. XVIII, "in Statutis ratio haberi debet huius communis subjectionis".

Nunquam tamen Regimen sive collegiale sive singulare Religionum virorum locum tenere potest et supplantare quodlibet regimen ex Monialibus compositum.

Mira ratio, qua Superiorissae Congregationis mulierum regunt ac administrant domus ac personas Religionum toto in orbe terrarum, optime comprobat hodiernas habilitates ac capacitates mulierum ad haec munera cum fructu exercenda.

Enumeratio componentium regimen in n. XXVI, 2.^o, sumi debet uti sese referens ad officia potius quam ad personas; habetur igitur officium praesidendi seu regendi administrandi Foederationes per illas potestates quae communes sunt, ut quid minimum superioribus supremis Congregationis vel Foederationis monasticae; seu requiruntur Moniales quae ad Monasteria membra Foederationis accedant, ut de visu et per contactum personale cum componentibus communitatem noticias habere valeant de statu Monasterii sub respectu personali, disciplinari, oeconomico. Etiam alia officia existere poterunt uti Secretaria, Procuratrix, etc.

Nomina, ordinatio singulorum officiorum quoad designationem personarum, quoad durationem muneris et quoad iura et obbligationes definienda relinquuntur iuri particulari cuiuslibet Foederationis (Inst., XXIV, 2.^o).

Sapienter hoc statutum est, cum fines, character, spiritus differre possint in diversis Foederationibus.

Universaliter asseri potest quod illae quae componunt regimen non solummodo nomen habere debent, sed etiam saltem essentiali potestatem qua pro efficaci exercitio officii necessaria est et hoc, non nomine alterius superioris externi, sed nomine proprio.

Quoad media et collaborationem.

Statutis relinquitur concreta definitio regiminis Foederationis mediumque pro finis assecutione, dantur tamen sive in Const. Apost. sive in Instructione S. C. de Religiosis, elementa quae necessario a Statutis cuiusvis Foederationis assumenda sunt saltem quoad substantiam.

Ratio ipsa Foederationum est bono spirituali et oeconomico Monasteriorum providere per vigilantiam et directionem alicuius organismi superioris et per fraternalm collaborationem diversorum Monasteriorum (Const.

A E L I U S G A M B A R I

Apost., p. 13). Hoc explicitis verbis iterum atque iterum asseritur in documentis pontificiis (Stat. Gen., VII, § 8, 2.^o; Instr., XX, 1.^o-4.^o). Ut media ad hanc fraternalm sed obligatoriam collaborationem statuuntur:

a) facultas et aliquando obligatio mutua sibi concedendi Moniales "quae ad regimen et fundationem necessariae esse possunt" (Instructio, XXII, 3.^o).

b) possilitas providendi solidae et practicae formationi, spirituali, disciplinari, technicæ, culturali novitiarum et religiosarum quando haec in proprio Monasterio ob quaevis adjuncta obtineri nequeant (Instr., XXII, 2.^o; St. Gen., VII, § 8, 3.^o);

c) possilitas providendi temporariam destinationem ad alia Monasteria exigentiis spiritualibus vel corporalibus Monialium (Instr., XXII, 4.^o);

d) oeconomica cooperatio ad providendum necessitatibus operum communium (St. Gen., VII, § 8, 3.^o; Instr., XXIV, 6, etc.).

e) Facultas et officium canonice sancitum fraterni adjutorii "... in regularis observantiae conservatione, defensione, incremento..." (Instructio, XXII, 1.^o).

P. AELIUS GAMBARI, S. M. M.